FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XV.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

XV.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol, in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

FASCICULUS X.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI
BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA
1871.

M. MINUCII FELICIS
OCTAVIUS

et

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

DEMONSTRATIO,

QUOD CHRISTUS SIT DEUS.

ACCEDIT

ANONYMI VIRI APOSTOLICI

EPISTOLA AD DIOGNETUM.

ALMA COLLEGE
208.2
LIBRARY
M618H
Alma, California

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel.

8451

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sjoannischrysost0000vari

Lectori.

Omnia, quae ad Marci Minucii Felicis patriam, aetatem aliaque vitae adjuncta spectant, nos, quod dolendum, latent. Ex ipso dialogo aliisque antiquitatis monumentis [1]) haec tantum colligimus, Romae eum esse versatum, causidicum egisse, in gentilium superstitione educatum christianam postmodum esse amplexum fidem. Conjecturis praeterea assequimur Tertulliano illum fuisse supparem, Cypriano antiquiorem, hinc claruisse circa a. 220 [2]). Postquam Minucius Christo nomen dedit, jam veritatis vindicem assertoremque se praebuit. Dialogum itaque perscripsit duas in partes distinctum, quarum altera Caecilii (qui et Natalis vocabatur atque

[1]) Ut Lactantii l. 5. Instit. c. 1; Hieronymi de script. eccles. c. 58.

[2]) De his conjecturis cf. Lumper, hist. theolog. critica de vita, scriptis atque doctrina ss. PP. p. 7. c. 1. a. 1. Nourry in diss. in M. Minucii Felicis l. c. 1. a. 2.

domi forisque Minucii lateri inhaerebat) pro ethnicis, altera Octavii pro christianis orationem complectitur, eumque inscripsit Octavius, ut tradunt Lactantius et Hieronymus: imitatus nimirum Platonem, Ciceronem aliosque veteres, qui ejuscemodi libris in dialogi formam compositis illius nomen praefixerunt, qui praecipuas in eis agit partes [1]). „Quicunque, inquit Fessler [2]), objectionum, quas ethnici contra religionem christianam tunc vibrare consueverant, et argumentorum, quibus christianae doctrinae veritatem ac dignitatem tueri solebant hujus asseclae, brevem summam acute, eleganter et perspicue digestam inspicere voluerit, is Minucii Octavium omnino legat. Habet ille suavitatem quandam et ornatum scribendi genus, quo plerosque scriptores ecclesiasticos latinos antecellit.“ Plura in hoc dialogo ut ex collatione [3]) patet mutuatus est ex Ciceronis ll. de natura deorum et de divinatione, atque ex Tertulliani Apologetico [4]); plura quoque,

---

[1]) Lumper l. c.

[2]) Institut. Patrol. t. 1. §. 100. n. 4.

[3]) Hanc instituit Nourry l. c. 2. a. 6.

[4]) Hunc praeclarum librum tempore suo edemus, hinc sufficiet in subjectis annotationibus cc. indicasse, ex quibus Minucius aliquid derivavit in suum Octa-

nonnunquam ad verbum, in Cypriani libello de idolorum vanitate leguntur.

Propter hujus dialogi praestantiam plures ejusdem circumferuntur editiones. Praetermissis antiquioribus pluris prae ceteris fiunt editiones Gallandii t. 4; Lindner Longosalissae 1773; de Muralto, Turici 1836; Oehler Lipsiae 1847; Migne 1844. Patrol. t. 3; Braun, Halm, Vindobonae 1867. Plures quoque viri eruditi[1]) in illo emendando atque illustrando suam utiliter collocarunt operam, inter quos eminet Nic. le Nourry O. S. Bened., qui prolixam in illum edidit dissertationem, in qua singula fere Minucii dicta aliorum apologetarum vel scriptorum verbis confirmat, vel novo perfundit lumine; hinc saepe in notulis textui in lectorum utilitatem subjectis nonnulla ex illo mutuabimur. Aliorum quoque rationem habebimus conjecturarum, et pro opportunitate indicabimus.

Cum autem Minucius invicte quidem ethnicae

---

vium, vel quae Minucii dicta confirmant atque illustrant.

[1]) Cujusmodi sunt Meursius, Balduinus, Wowerus, Elmenhorstius, Heraldus, Rigaltius, Gronovius, Onzelius, Cellarius, Fulvius Ursinus, Davis, Wopkenius, Heumann, Val. Vonck, Lindner, Gallandi, Lumper, Halm, Dombartus etc.

religiônis manifestet falsitatem, religionis vero christianae pauca tantum probet doctrinae capita, unum scil. esse Deum ubique praesentem, et omnibus ac singulis providentem, sanctos illibatosque esse christianorum mores atque conventus: ut religionis christianae apologia compleatur atque perficiatur, aureum s. Joannis Chrysostomi libellum [1]), *Quod Christus sit Deus*, Minucii nostri Octavio subjiciemus, in quo ex prophetarum atque ipsius Salvatoris vaticiniis, et ex mirabili religionis christianae propagatione Christi evincit divinitatem. Juverit

---

[1]) Utrum concionis more hunc sermonem ad populum habuerit Chrysostomus, an scripserit legendum, incertum est. Certum tamen videtur integrum illum non esse, magnamque ejus partem in fine deesse. Adornavit autem illum ante mensem Septembrem 387. secundum Montfauconii conjecturas. Hujus exhibemus versionem, cum diligenti collatione instituta eam plane accuratam comperimus. Quamvis autem propositum nobis sit, patrum latinorum tantum selecta edere opuscula, tamen propter argumenti affinitatem librique praestantiam exceptionem facere theologiae studiosis perutilem non dubitavimus. Quod vero versionem latinam praetulerimus versioni in linguam patriam, non citra rationes graves factum est. Plurimi enim ex lectoribus collectionis nostrae hujus linguae sunt ignari: alia deinde opusculorum Ss. Patrum collectio simul cum hac nostra prodit, cujus scopus est, illa accurate versa in linguam germanam exhibere.

uterque hic libellus ad excitandam alendamque fidem in religionis nostrae fundamenta, quae non minus, imo periculosius modo impugnantur, quam tempore Chrysostomi vel etiam Minucii: non pigebit proinde nosse arma, quibus illi et pugnarunt et vicerunt.

M. MINUCII FELICIS
OCTAVIUS.

1. Cogitanti mihi, et cum animo meo Octavii, boni et fidelissimi contubernalis, memoriam recensenti tanta dulcedo et affectio hominis inhaesit, ut ipse quodammodo mihi viderer in praeterita redire, non ea quae jam transacta et decursa sunt recordatione revocare: ita ejus contemplatio, quantum subtracta est oculis, tantum pectori meo ac pene intimis sensibus implicata est! Nec immerito discedens [1]) vir eximius et sanctus immensum sui desiderium nobis reliquit; utpote cum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut et in ludicris

[1]) Sunt qui haec intelligant de discessu e vita, sed nulla est sufficiens ratio, cur haec de morte intelligantur: possunt enim commode intelligi de discessu ex urbe.

et seriis pari mecum voluntate concineret, eadem velle vel nolle: crederes unam mentem in duobus fuisse divisam. Sic solus in amoribus conscius ipse[1]), socius in erroribus: et cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiae[2]) et veritatis emergerem, non respuit comitem, sed, quod est gloriosius, praecucurrit. Itaque cum per universam convictus nostri et familiaritatis aetatem mea cogitatio volveretur, in illo praecipue sermone ejus mentis meae resedit intentio, quo Caecilium superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhaerentem disputatione gravissima ad veram religionem reformavit.

2. Nam negotii et visendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, conjuge, liberis, et quod est in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, et adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam ipso offensantis lin-

[1]) Lindner haec ita exponit: Sic is, qui mihi solus erat in amoribus (i. e. carissimus), cujus rei ipse est testis locupletissimus, socius fuit etiam in erroribus. Ceterum hoc incisum poterit et ita apte explicari: Tanta fuit nostra concordia, ut ipse solus esset conscius omnium, quae ego amarem, omnis mei amoris; ipse quoque socius in erroribus.

[2]) *Sapientiae* i. e. christianae, religionis christianae.

guae fragmine dulciorem. Quo in adventu ejus non possum exprimere sermonibus, quanto quamque impatienti gaudio exsultaverim, cum augeret maxime laetitiam meam amicissimi hominis inopinata praesentia. Igitur post unum et alterum diem, cum jam et aviditatem desiderii frequens assiduitatis usus implesset, et quae per absentiam mutuam de nobis nesciebamus, relatione alterna comperissemus; placuit Ostiam petere amoenissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et apposita curatio. Sane et ad vindemiam feriae judiciariam curam relaxaverant; nam id temporis post aestivam diem in temperiem semet autumnitas [1]) dirigebat. Itaque cum diluculo ad mare inambulando litore pergeremus, ut et aura aspirans leniter membra vegetaret, et cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret, Caecilius, simulacro Serapidis denotato [2]), ut vulgus superstitiosus (*forte* superstitiosius) solet, manum ori admov ns, osculum labiis impressit.

---

[1]) *Autumnitas*, tempus autumnale.

[2]) *Denotato* i. e. conspecto, cum conspexisset. *Caecilius* Minucii erat comes, ejusque lateri domi forisque inhaerebat, ut patet ex n. seq.

3. Tunc Octavius ait: Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhaerentem sic in hac imperitiae vulgaris caecitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, et unctos, et coronatos: cum scias hujus erroris non minorem ad te quam ad ipsum infamiam redundare. Cum hoc sermone ejus medium spatium civitatis emensi jam liberum litus tenebamus. Ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat. Et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis tortuosisque ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso aequoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet fluctus, nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim itaque tranquilleque progressi oram curvi molliter litoris iter fabulis fallentibus legebamus. Hae fabulae erant Octavii disserentis de navigatione narratio. Sed ubi eundi spatium satis justum cum sermone consumpsimus, eandem emensi viam rursus versis vestigiis terebamus. Et cum ad id loci ventum est, ubi subductae naviculae substratis

roboribus, a terrena labe[1]) suspensae quiescebant, pueros vidimus certatim gestientes testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est, testam teretem, jactatione fluctuum laevigatam, legere de litore; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum (f. ipsam) atque humilem, quantum potest, super undas irrotare, ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, enataret, dum leni impetu labitur; vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cujus testa et procurreret longius, et frequentius exsiliret.

4. Igitur cum omnes hac spectaculi voluptate caperemur, Caecilius nihil intendere neque de contentione ridere, sed tacens, anxius, segregatus dolere nescio quid vultu fatebatur. Cui ego: Quid hoc est rei? cur non agnosco, Caecili, alacritatem tuam illam, et illam oculorum etiam in seriis hilaritatem requiro? Tum ille: Jamdudum me Octavii nostri acriter angit et remordet oratio, qua in te invectus, objurgavit negligentiae, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiae. Ita-

---

[1]) *A terrena labe*, e limo subductae, ne scil. putrescerent.

que progrediar ulterius: de toto et integro mihi cum Octavio res est. Si placet ut ipsius sectae homo cum eo disputem, jam profecto intelliget facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere sapientium modo[1]). In istis ad tutelam balnearum jactis et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus, ut et requiescere de itinere possimus, et intentius disputare. Et cum dicto ejus assedimus, ita ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent: neque hoc obsequii fuit, aut ordinis ,aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut accipiat, aut faciat; sed ut arbiter et utrique proximus aures darem, et disceptantes duos medius segregarem.

5. Tum sic Caecilius exorsus est: Quamquam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quaerimus, non sit ambiguum, utpote cum diligenter in utroque vivendi genere versatus repudiaris alterum, (alterum) comprobaris; in praesentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas aequissimi judicis, nec in alteram partem

---

[1]) *Ut ipsius sectae homo* i. e. si placet ut gentilium, cultus ethnici partes agens cum Octavio disputem, intelliget is sane, facilius esse inter contubernales de gentilium cultu disserere, quam serio, sapientium more disputare, concertare.

propensus incumbas, ne non tam ex nostris disputationibus nata sententia, quam ex tuis sensibus prolata videatur. Proinde si mihi quasi novus aliqui et quasi ignarus partis utriusque considas, nullum negotium est patefacere, omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisque omnia verisimilia, quam vera. Quo minus mirum est nonnullos taedio investigandae penitus veritatis cuilibet opinioni temere succumbere, quam in explorando pertinaci diligentia perseverare. Itaque indignandum omnibus, indolescendum est, audere quosdam, et hoc studiorum rudes, literarum profanos, expertes [1]), artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac majestate decernere, de qua tot omnibus seculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat. Nec immerito; cum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quae supra nos coelo suspensa sublata

---

[1]) *Expertes* i. e. literarum, amat enim Minucius idem bis dicere. Respicit autem hic Caecilius christianos, quorum plerique inferioris erant conditionis, hinc rudes in literis secularibus atque in mundana philosophia. Cf. infra c. 8. Similem exprobrationem cf. apud Originem c. Celsum l. 1. n. 27. l. 6. n. 14. Juliani apud Cyrillum l. 6. adv. eundem.

sunt, neque quae infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprare religiosum[1]): et beati satis satisque prudentes jure videamur, si secundum illud vetus Sapientis oraculum nosmetipsos familiarius noverimus. Sed quatenus indulgentes insano atque inepto labori ultra humilitatis nostrae terminos evagamur, et in terram projecti coelum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus, vel hunc errorem saltem[2]), non

---

[1]) *Aut stuprare religiosum* i. e. falsis vanisque opinionibus corrumpere. Necesse autem est in falsas vanasque incidere opiniones, si divina scrutari nobis non est permissum, et nos tamen in iis investigandis occupemur. Quare religiosum non erit explorare divina, cum citra stupri speciem propter rationem allatam id non continget. Sed probabilis admodum est Dombarti conjectura legentis *suspicari:* sic enim aptissime tres gradus cognitionis humanae per descensum a majore ad minus proponuntur: *scientia, scrutatio, conjectura.* — Sapiens ille, cujus mox meminit, est vel Thales vel Chilon.

[2]) *Hunc errorem saltem.* Sensus videtur : Si revera scrutari volumus sive quae supra nos coelo suspensa sublata sunt, sive quae infra terram profunda demersa sunt, qua in investigatione certe aberrabimus, quia horum investigatio nobis permissa non est, errorem hunc saltem non implicemus vanis et formidolosis opinionibus de quodam supremo numine, quod mundum fecerit suaque regat providentia.

vanis et formidolosis opinionibus implicemus. Sint principio omnium semina natura in se coëunte densata: quis hic auctor Deus? Sint fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata: quis Deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, et coelum licet sua materia suspenderit, licet terram fundaverit pondere [1]), et mare, licet influxerit e liquore: unde haec religio, unde formido, quae superstitio est? Homo et animal omne quod nascitur, inspiratur, attollitur, elementorum ut voluntaria concretio est: in quae rursum homo et animal omne dividitur, sólvitur, dissipatur. Ita in fontem refluunt, et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec judice, nec auctore. Sic congregatis ignium seminibus soles alios atque alios semper splendere; sic exhalatis terrae vaporibus nebulas semper adolescere, quibus densatis coactisque nubes altius surgere; iisdem labentibus pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare; vel nimbis collidentibus, tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina praemicare: adeo passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt, sine de-

---

[1]) Variae in h. l. obscurum sunt eruditorum conjecturae. Halm ex conjectura Vahlenii supplet *sua*, hinc scribit: *licet terram sua* (sc. materia) *fundaverit pondere.*

lectu tangunt loca sacra et profana, homines noxios feriunt et saepe religiosos. Quid tempestates loquar varias et incertas, quibus nullo ordine vel examine, rerum omnium impetus volutatur? in naufragiis bonorum malorumque fata mixta, merita confusa? in incendiis interitum convenire insontium nocentiumque? et cum tabe pestifera coeli tractus inficitur, sine discrimine omnes deperire? et cum belli ardore saevitur, meliores potius occumbere? In pace etiam, non tantum aequatur nequitia melioribus, sed et colitur: ut in pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas. Quod si mundus divina providentia, et alicujus numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, nunquam Rutilius et Camillus exsilium, nunquam Socrates venenum[1]). Ecce

---

[1]) Eodem plane argumento apud Ciceronem (de natura deorum l. 3. c. 32 s.) Cotta academicus providentiam Dei concutere moliebatur. „Cur avunculus meus, inquit, vir innocentissimus idemque doctissimus Rutilius in exsilio est? . . . Duodequadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimae et beatissimae civitatis? Quam multas ante hunc in ipso Graeciae flore Pisistratus ac Phalaris (Argentinorum tyrannus) ac Appollodorus poenas sustulit, multis quidem ante cruciatis et necatis? . . . Quid

arbusta frugifera, ecce jam seges cana, jam temulenta vindemia imbri corrumpitur, grandine caeditur. Adeo aut incerta nobis veritas occultatur et premitur; aut quod magis credendum est, variis et lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur. Cum igitur aut fortuna coeca[1]), aut incerta natura sit; quanto venerabilius ac melius antistitem veritatis majorum excipere disciplinam! religiones traditas colere! deos quos a parentibus ante imbutus es timere, quam nosse, familiarius adorare! nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere, qui in

---

dicam de Socrate, cujus morti illacrimari soleo Platonem legens?" Denique postquam multa Dionysii impia facta et sacrilegia recensuit, his narrationem suam absolvit verbis: „Hunc igitur nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoque morbo intabescentem interemit, atque in suo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus est, eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi justam et legitimam hereditatis loco filio tradidit." Cf. Nourry, dissertatio in Minucii Fel. l., qui Octavius inscribitur c. 6. a. 2.

[1]) Optime correxit Dombartus *coeca* pro *certa*, cum fortuna instabilis *certa* dici nequeat. Et infra legit *antistitem veritatis*, cum antea legeretur *antistites veritatis* absque sensu, ut advertit Halm in praef. ad suam edit. Hinc sensus erit: Quanto melius est majorum disciplinam excipere, quasi principem et obsidem veritatis.

ipsius mundi natalibus, meruerunt deos vel faciles[1]) habere, vel reges!

6. Inde adeo per universa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Aesculapium, Chaldaeos Belum, Astartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa[2]) Romanos. Sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitum occupavit: sic imperium suum ultra solis vias et ipsius oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum; dum obsessi et citra solum capitolium capti colunt deos, quos alius jam sprevisset iratos, et per Gallorum acies mirantium superstitionis audaciam pergunt telis inermes, sed cultu religionis armati; dum capti in hostilibus moenibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur[1]); dum undique

---

[1]) *Faciles*, propitios, beneficos, qui facile adiri possunt.

[2]) Halm, supplet *numina* (universa *numina*); Merito infra veritate suadente correxit *ambitum*, cum ante legeretur *ambitus*.

[1]) *Dum capti*. Dum sunt in capitolio ab hostibus

hospites deos quaerunt, et suos faciunt; dum aras exstruunt interdum etiam ignotis numinibus et manibus. Sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. Hinc perpetuus venerationis tenor mansit, qui longa aetate non infringitur, sed augetur. Quippe antiquitas caeremoniis atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit, quantum adstruxerit vetustatis.

7. Nec tamen temere [ausim enim interim et ipse concedere et sic melius errare[2])], majores nostri aut observandis auguriis aut extis consulendis, aut instituendis sacris, aut delubris dedicandis operam navaverunt. Specta de libris memoriam, jam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum, vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira, aut ut jam tumens et saeviens placaretur. Testis mater Idaea,

---

obsessi et inclusi et sic intra moenia ab hostibus jam occupata, ferociente adversus eos victoria, numina a Gallis victa venerabantur. Halm: *captis hostilibus* etc.

[2]) *Melius errare.* Ait Caecilius sese melius errare, quam Octavium, si romanorum superstitiones probare videatur tam utiles et prosperas cultoribus suis. Rigaltius.

quae adventu suo et probavit matronae castitatem[1]), et urbem metu hostili liberavit.

---

[1]) „Paucis his verbis, inquit Nourry diss. cit. c. 19. a. 1, quae nonnullis obscura esse possunt, designat celebre apud ethnicos scriptores Claudiae Quintiae factum. Narrant enim vero lapideum Idaeae seu deorum matris h. e. Cybeles seu Cereris simulacrum Pessinunte Romam, ut Hannibal punico bello ex Italia pelleretur, quodam vate suadente advectum. Ad ostia autem tiberina, cum navis, qua simulacrum ferebatur, appulisset, ita immotum permansit, ut nulla hominum vi potuerit loco suo dimoveri. Tum vero Claudia, cui hactenus dubia pudicitiae fama fuerat, eam evidentissime probavit, cum post fusas ad deam, ut ajebant, preces simulacrum illius cum ipsa navi sola suoque tantum cingulo, quo romani vestibant, in terram deduxit. Et haec quidem posteris mandaverunt Livius, Ovidius ac paulo obscurius Cicero; atque etiam christiani scriptores Augustinus, Arnobius, Lactantius et alii.“ De altero facto hoc advertit Nourry l. c.: „Equestres fratres appelat Castorem et Pollucem . . . Audacter vero asseverat (Caecilius) facta ab illis duo miracula, ac primo quidem eorum praesidio Persem regem a romanis victum et captum, et victoriam Romae ipso die, quo reportata fuerat, senatui nunciatam, denique in tanti miraculi memoriam erectas eorum statuas. Eadem narrant Valerius Maximus (l. 1. c. 11); Ammianus Marcellinus (l. 28. c. 4); Dionysius Halicarnasseus (l. 6. antiq. rom.); Plutarchus (in vita Coriolani) et alii plures.“ Tamen ne haec facta mira quemquam moveant, quasi fuerint vera miracula, vel his non insit ratio notae revelationis

Testes equestrium fratrum in lacu, sicut (se) ostenderant, statuae consecratae, qui anhelis, spumantibus equis atque fumantibus de Perse victoriam eadem die, qua fecerant, nunciaverunt. Testis ludorum offensi Jovis de somnio plebeji hominis iteratio[1]): et Decio-

---

divinae, haec advertisse juverit: 1) facta ista carere fundamento historico: etenim ne unus quidem ex historicis, qui illa referunt, oculatus fuit testis, et ex incerto rumore ea referunt. Hinc Valerius Maximus l. 1. c. 8. n. 6. scribit: „Nec me praeterit de motu et voce deorum immortalium humanis oculis auribusque percepto quam in ancipiti opinione aestimatio versetur.“ Et Curtius l. 9. c. 1: „Equidem plura transcribo, quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere quae accepi.“ Cf. Livium Dec. 1. l. 1; Plutarchum in Vita Romuli; Ciceronem de divin. l. 2. c. 38. 2) Haec facta non perhibentur in falsae religionis testificationem saltem directe edita. Ejusmodi deinde 3) sunt, ut ope daemonis facile explicari possint ut ea revera, explicant Octavius infra n. 26. s., Tertullianus Apolog. c. 22, 23. Augustinus de Trinit. l. 4. c. 17; l. 2. de Gen. ad lit. c. 17; de divinat. daemon. cc. 5. ss.

[1]) Quod hic innuit tantum Caecilius, fusius cum pluribus aliis (inter quos cf. Cicero l. 1. de divinit.) ita narrat Augustinus (de civit. Dei l. 4. c. 26): „Tito Latino rustico romano patrifamilias dictum est in somnis, in senatum nunciaret, ut ludi romani instaurarentur, quod primo eorum die in quodam scelerato, qui populo spectante ad supplicium duci jus-

rum devotio rata testis est. Testis et Curtius, qui equitis sui vel mole vel honore hiatum profundae voraginis coaequavit. Frequentius etiam quam volebamus, deorum praesentiam contempta auspicia contestata

---

sus est, numinibus videlicet ex ludis hilaritatem quaerentibus triste displicuisset imperium. Cum ergo ille, qui somnio commonitus erat, postera die jussa facere non ausus esset, secunda nocte hoc idem rursus severius imperatum est; amisit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum est homini, quod major ei poena si non faceret, immineret. Cum etiam sic non auderet, in morbum incidit acrem et horribilem. Tum vero ex amicorum sententia ad magistratus rem detulit, atque in lectica allatus est in senatum: expositoque somnio recepta continuo valetudine, pedibus suis sanus abscessit. Tanto stupefactus miraculo senatus quadruplicata pecunia ludos censuit instaurari." Verbis *Deciorum devotio rata* respicit Caecilius Decios patrem et filium, quibus aliqui nepotem adjungunt, qui postquam se pro romanis exercitibus devovissent, armati irruerunt medios in hostes ac desperatam gloriosa morte victoriam consecuti sunt. Ceterum si Cottae (ap. Ciceronem de natura deor. l. 2.) credimus, factum hoc non miraculum fuit, sed horum imperatorum *στρατήγημα*. „Consilium illud, inquit, imperatorum fuit, qui ut patriae consulerent, vitae non parcerent. Rebantur enim fore, ut exercitus imperatorem equo incitato se in hostes immittentem persequerentur. Id quod evenit." Cf. Nourry l. c.

sunt. Sic Allia nomen infaustum[1]). Sic Claudii et Junii non praelium in Poenos, sed ferale naufragium est. Et ut Trasymenus romanorum sanguine et major esset et decolor, sprevit auguria Flaminius; et ut Parthos signa repetamus[2]), dirarum impre-

---

[1]) Ad Alliam flumen romanus exercitus caesus fususque fuit a gallis duce Brenno et hinc urbs capta, quamobrem dies ille inter infaustos, atros nefastosque habitus est. Alia, quorum hic meminit Caecilius paulo explicatius ac dilucidius Balbus stoicus pro diis suis disputans profert (apud Cicer. l. 2. de natura deorum): „Nihil nos P. Claudii bello punico primo temeritas moverit, qui etiam per jocum deos irridens cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. Qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrimas, magnam populo romano cladem attulit. Quid collega ejus Junius eodem bello? Nonne tempestate classem amisit, cum auspiciis non paruisset? Itaque P. Claudius a populo condemnatus est; Junius necem ipse sibi conscivit. C. Flaminium Caecilius, religione neglecta, cecidisse apud Thrasymenum scribit, cum magno reipublicae vulnere. Quorum exitio intelligi potest, eorum imperiis rempublicam amplificatam, qui religionibus paruissent.“

[2]) Ad haec Suetonii verba (in vita Octav. Augusti § 21.) respicere videtur: „Parthi Armeniam vindicanti facile cesserunt, et signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.“ Ex his quippe verbis, inquit Nourry l. c., colligi potest hunc esse auctoris sensum: Et ut

cationes Crassus et meruit, et irrisit. Omitto vetera, quae multa sunt, et de deorum natalibus, donis, muneribus: negligo carmina poëtarum: praedicta etiam de oraculis fata transilio, ne nobis antiquitas nimium fabulosa videatur. Intende templis ac delubris deorum, quibus romana civitas et protegitur et ornatur; magis sunt augusta numinibus incolis, praesentibus, inquilinis, quam cultus insignibus et muneribus opulenta. Inde adeo pleni et mixti deo vates futura praecerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus levamentum. Etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, pejeramus.

8. Itaque, cum omnium gentium de diis immortalibus, quamvis incerta sit vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio, neminem fero tanta audacia tamque irreligiosa

a parthis signa militaria reposcere oporteret, Crassus spretis dirarum imprecationibus meruit: idcirco enim illa amisit. Propter haec Suetonii verba et similia Virgilii Aen. 7, 697 malunt nonnulli legere, *reposcamus:* Halm emendavit *repeteremus*, cum intelligere nequeat, quo modo in tali relatione de re tempore Augusti facta, Minucius *repetamus* scribere potuerit.

nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam vetustam, tam utilem, tam salubrem dissolvere aut infirmare nitatur. Sit licet ille Theodorus Cyrenaeus, vel qui prior Diagoras Melius, cui Atheon cognomen apposuit antiquitas, qui uterque nullos deos asseverando timorem omnem, quo humanitas[1]) regitur, venerationemque penitus sustulerunt: nunquam tamen in hac impietatis disciplina simulatae philosophiae nomine atque auctoritate pollebunt. Cum Abderitem Protagoram athenienses viri, consulte[2]) potius quam profane de divinitate disputantem et expulerint suis finibus, et in concione ejus scripta deusserint, quid? homines (sustinebitis enim me impetum susceptae actionis liberius exserentem) homines, inquam, deploratae, illicitae ac desperatae factionis grassari in deos non ingemiscendum est? qui de ultima faece collectis imperitioribus

---

[1]) *Humanitas*, humanum genus.

[2]) *Consulte.* Suspicantur nonnulli legendum esse *inconsulte*, nam multa, advertit ad h. l. Lindner, in cathedra privatim consulte proferuntur, quae alius publice pro suggestu inconsulte disserit.“ Si vero retineatur haec lectio *consulte*, sensus forte esset, Protagoram (alii legunt *Pithagoram*) doctorum potius more, inquirendi veri gratia, non ut illud negaret, de divinitate disputasse.

et mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem profanae conjurationis instituunt, quae nocturnis congregationibus et jejuniis solemnibus, et inhumanis cibis[1]), non sacro quodam sed piaculo foederatur. Latebrosa et lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula; templa ut busta despiciunt[2]), deos despuunt, rident sacra, miserentur miseri, si fas est, sacerdotum; honores et purpuras despiciunt, ipsi semi-nudi. Proh! mira stultitia et incredibilis audacia! spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. Ita illis pavorem fallax spes solatio redivivo blanditur[3]).

[1]) *Inhumanis cibis.* Suspicatur Lindner legendum esse *humanis.* Sensus est idem. Refert hic Caecilius calumnias, quae contra christianos in vulgus spargebantur, quod vescerentur carne humana etc. de quibus cf. infra c. 9. et opusc. t. 13. p. 91. et Tertullianum Apol. c. 8, 9.

[2]) *Templa ut busta despiciunt.* Ita Tertullianus de Spectac. c. 13: „Nec minus templa quam monumenta despuimus.“ Nempe cum gentiles testibus Clemente alex., Arnobio, Eusebio in plerisque templis defunctorum cadavera tumularentur, christiani ab hoc usu ea *busta*, sepulcra et nominabant et aestimabant. Cf. Heraldum in h. l.

[3]) *Ita illis* etc. *Blandiri* hoc l. est mollire, le-

9. Ac jam, ut fecundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus, per universum orbem sacraria[1]) ista teterrima impiae coitionis adolescunt. Eruenda prorsus haec et exsecranda consensio. Occultis se notis et insignibus noscunt, et amant mutuo, pene antequam noverint: passim etiam inter eos velut quaedam libidinum religio miscetur: ac se promisce[2]) appellant fratres et sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana et demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxime nefaria et honore praefanda[3]) sagax fama loqueretur. Audio

---

vare, mitigare, hinc sensus secundum Lindner est: Mitigat timorem mortis et tormentorum praesentium spes illa fallax, fore ut aliquando reviviscant.

[1]) *Sacraria* vocat loca, in quae christiani oratum conveniebant. Infra *Eruenda* i. e. evertenda, exscindenda.

[2]) *Promisce* idem quod promiscue. Supposita veritate calumniae christianos in suis coetibus libidini indulgere, exprobrat Caecilius christianis, quod illam religione quasi quadam exerceant, hinc ut stupri crimini incestus (qui longe majus est scelus) nota imprimatur, ac proin illius malitia augeatur, se promiscue fratres et sorores appellant. Similia reperies ap. Tertullianum Apolog. c. 7.

[3]) *Honore praefanda* i. e. turpia dictu. Ejusmodi

eos turpissimae pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari. Digna et nata religio talibus moribus [1]). Alii eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia, et quasi parentis sui adorare naturam. Nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris apposita suspicio [2]). Et qui

---

crimina, quae mox Caecilius christianis exprobrat, et hisce similia passim a gentilibus christianis fuisse objecta ex aliorum quoque apologetarum scriptis constat. De adoratione capitis asini cf. Tertullianum apolog. c. 17, ubi hujus calumniae originem detegit. Alteri calumniae de adoratione virilium sacerdotum occasionem praebuisse censet Baronius, Annal. ad a. 56. n. 18. praxim, qua poenitentes ad genua sacerdotum procumbebant, dum sua illis peccata confiterentur. Nec dissimilis est conjectura Nourrii (quem cf. in diss. de Minucii Octavio c. 11), qui occasionem quandam reperit in poenitentium consuetudine se prosternendi extra fores limenque Ecclesiae ad omnium praesertim sacerdotum pedes, ut peccatorum veniam ipsis impetrarent vel concederent, quem ritum descriptum reperies in Tertulliani l. de poenitentia c. 6 opusc. t. 5.

[1]) *Digna et nata* etc. i. e. His moribus optime convenit cultus asini, salacissimi animalis. Cf. Lindner in h. l.

[2]) *Apposita suscipio.* Haec suspicio si non nititur veritate, saltem sponte sua suggeritur, oboritur, seu verisimilis redditur propter ejusmodi occulta sacra, quae celebrant christiani, hinc cum illis connexa, iis apposita est.

hominem summo supplicio pro facinore punitum et crucis ligna feralia eorum caeremonias fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur. Jam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo, farris superficie quasi ad innoxios ictus provocato, coecis occultisque vulneribus occiditur: hujus, pro nefas! sitienter sanguinem lambunt: hujus certatim membra dispertiunt, hac foederantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur. Haec sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio notum est: passim omnes loquuntur: id etiam Cirtensis nostri [1]) testatur oratio. Ad epulas solemni die coëunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis: illic post multas

---

[1]) *Cirtensis nostri.* Est hic M. Cornelius Fronto, Cirte in Numidia natus, orator inter latinos hujus aevi non obscurus, hostis christianorum infensissimus. Ceterum quae hic de infante christianis per calumniam objicit, vix aliunde quam ex christianorum fide de reali Christi in eucharistia praesentia videntur derivata. Convivium vero, quod tam atris describit coloribus, illud est, cui a motivo, scopo et lege qua regebatur, ἀγάπη nomen est factum.

epulas, ubi convivium caluit, et incestae libidini ebrietatis fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est, jactu offulae ultra spatium lineae, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur: sic everso et exstincto conscio lumine [1]) impudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum sortis: et si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti; quoniam voto universorum appetitur, quidquid accidere potest in actu singulorum.

10. Multa praetereo consulto. Nam et haec nimis multa sunt, quae aut omnia aut pleraque omnium vera declarat ipsius pravae religionis obscuritas. Cur etenim occultare et abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent[2]), templa nulla, nulla nota

---

[1]) *Conscio lumine.* Vocat lumen conscium, quia lumen est veluti testis eorum, quae coram geruntur. Lumine sublato impudentes redduntur mali, quia nemo testis eorum scelerum, hinc pudoris freno a malo non absterrentur.

[2]) Hisce verbis hanc subjicit notationem Lindner: „Adeoque de sacrificio missae iis temporibus altum silentium!“ Quam praepostere, quam inscite! An non clarissime de eo loquitur s. Cyprianus, qui si non prior, parum saltem post Minucium flo-

simulacra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari, nisi illud quod colunt et interprimunt [1]), aut puniendum est, aut pudendum? Unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem romana superstitio noverunt? Judaeorum sola et misera gentilitas [2]) unum et ipsi Deum,

---

ruit et scripsit? Cf. integram ep. 63, quam suo tempore edemus; de lapsis n. 25, 26. opusc. t. 5. Sacrificii missae sat clare passim meminit Tertullianus, qui si ejus l. apologeticum cum hoc dialogo conferimus, Minucii magister haud immerito dici poterit. Ita ex. gr. de orat. c. 19. opusc. t. 2. Alios qui hoc tempore et ante hoc tempus clare loquuntur cf. apud Doellinger, die Eucharistie in den ersten drei Jahrhunderten. Eo proinde tantum sensu affirmat Caecilius et concedere infra videtur Octavius, christianos nullas habere aras, quo sensu etiam affirmat eos non habere templa. Scil. non habebant christiani aras, quales gentiles, aras sacrificiis cruentis, animalium victimis destinatas. Neque modo necesse erat Octavio quaestionem ingredi de missae sacrificio, cujus mysterii percipiendi plane adhuc incapax fuisset Caecilius, christianae religionis, ut in hoc dialogo supponitur, hostis infensus. Loquitur proin secundum notiones et praejudicia adversarii gentilis, et secundum hujus sensum negat Octavius infra christianos habere aras et templa. Cf. plura indiss. Nourrii c. 12. a. 2.

[1]) *Interprimunt*, occultant.

[2]) *Gentilitas*, gens, sicut supre n. 8. *humanitas* idem ac genus humanum.

sed palam, sed templis, aris, victimis caeremoniisque coluerunt, cujus adeo nulla vis, nec potestas est, ut sit romanis numinibus cum sua sibi natione captivus. At jam christiani, quanta monstra, quae portenta confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique et occultas cogitationes diligenter inquirere? discurrentem scilicet, atque ubique praesentem: molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum. Siquidem astat factis omnibus, locis omnibus intererrat, cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus.

11. Quid? quod toto orbi, et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur? quasi aut naturae divinis legibus constitutus aeternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium foedere et coelesti compage divisa, moles ista, qua continetur et cingitur, subruatur. Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas astruunt et annectunt. Renasci se ferunt post mortem et cineres et favillas: et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt. Putes eos jam revixisse. Anceps malum et ge-

mina dementia! coelo et astris, quae sic relinquimus ut invenimus, interitum denunciare; sibi mortuis, exstinctis, qui sicut nascimur et interimus, aeternitatem repromittere! Inde videlicet et exsecrantur rogos, et damnant ignium sepulturas. Quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus in terram resolvatur, nec intersit, utrum ferae diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam sibi ut bonis et perpetem vitam mortuis pollicentur; ceteris ut injustis poenam sempiternam. Multa ad haec suppetunt, ni festinet oratio. Injustos ipsos magis nec laboro [1]), jam docui: quamquam, etsi justos darem, culpam tamen,

[1]) *Injustos ipsos magis nec laboro.* Haec verba duplicem sensum pariunt, prout *magis* vel ad antecedentia vel ad consequentia refertur . . . Hinc sensus est: Injustiores ethnicis esse christianos, non amplius demonstrabo, qui jam docui. Et haec explicatio optime convenit cum responsione Octavii n. 35: „Tamen si vobiscum christiani comparemur . . . multo vobis meliores deprehendemur.“ Deinde *magis nec laboro* est *non amplius laboro*, scil. docere injustos ipsos esse. Lindner.

vel innocentiam fato tribui, sententiis plurimorum et haec vestra consensio est. Nam quidquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo dicitis [1]): sic sectae vestrae non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus? et corporibus quibus? ipsisne innovatis resurgatur? sine corpore? Hoc. quod sciam, neque mens, neque anima, nec vita est. Ipso corpore? Sed jam ante dilapsum est. Alio corpore? Ergo homo novus nascitur, non prior ille reparatur. Et tamen tanta aetas abiit, secula innumera fluxerunt, quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte remeavit, horarum saltem permisso commeatu, vel ut exemplo crederemus? Omnia ista figmenta malesanae opinionis et inepta solatia a poëtis fallacibus in dulcedine carminis lusa, a vobis, nimirum (al. nimium) credulis, in Deum vestrum turpiter reformata sunt [2]).

12. Nec saltem de praesentibus capitis experimentum, quam vos irritae pollicitatio-

---

[1]) *Dicitis* i. e. addicitis, et ita revera alii malunt legere. Paulo supra al. *Sententia est plurimorum* etc.

[2]) *Reformata*, recocta, nova quadam forma nonnihil immutata tamquam doctrinam Dei vestri venditatis.

nis cassa vota decipiant: quid post mortem impendeat, miseri, dum adhuc vivitis, aestimate. Ecce pars vestrum et major, melior, ut dicitis, egetis, algetis. opere, fame laboratis: et Deus patitur, dissimulat; non vult, aut non potest opitulari suis. Ita aut invalidus, aut iniquus est. Tu, qui immortalitatem posthumam somnias, cum periculo quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, nondum conditionem tuam sentis? nondum agnoscis fragilitatem? invitus miser infirmitatis argueris, nec fateris? Sed omitto communia. Ecce vobis minae, supplicia, tormenta, et jam non adorandae, sed subeundae cruces; ignes etiam, quos et praedicitis et timetis: ubi Deus ille, qui subvenire revivi-scentibus potest, viventibus non potest? Nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto, vestrique dominantur? vos vero suspensi interim atque solliciti, honestis voluptatibus abstinetis: non spectacula visitis, non pompis interestis; convivia publica absque vobis; sacra certamina, praecerptos cibos[1]) et delibatos altaribus potus

[1]) *Praecerptos cibos* dicit sicut *delibatos altaribus potus*, scil. qui erant diis oblati, seu quorum pars aliqua diis fuerat immolata.

abhorretis. Sic reformidatis deos, quos negatis. Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus: coronas etiam sepulcris denegatis. pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum[1]): ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis. Proinde si quid sapientiae vobis aut verecundiae est, desinite coeli plagas et mundi fata et secreta rimari. Satis est pro pedibus aspicere[2]), maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus: quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina.

13. Quamquam si philosophandi libido est, Socratem sapientiae principem, quisque vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. Ejus viri, quoties de coelestibus rogabatur, nota responsio est: *Quod supra nos, nihil ad nos*[3]). Merito ergo de oraculo testimonium

---

[1]) *Sed nostrorum deorum*, hi enim suos juvant, dum vester vos deserit.

[2]) *Pro pedibus aspicere* i. e. quae pro pedibus sunt, manifesta, obvia.

[3]) Hausta haec suspicatur Nourry diss. cit. c. 3. a. 2. ex Ciceronis l. 1. acad. quaest., ubi haec legimus: „Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis . . . avocavisse philosophiam, et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vi-

meruit prudentiae singularis; quod oraculum idem ipse praesensit, idcirco universis esse

---

tiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret: coelestia autem procul esse a nostra cogitatione censeret, vel si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre. Hic in omnibus fere sermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perscripti varie, copiose sunt, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios: nihil scire se dicat, nisi idipsum; eoque praestare ceteris, quod illi, quae nesciant, scire se putent: ipse se nihil scire id unum sciat; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitrari sese scire, quod nesciat.“ Citatum vero a Caecilio Socratis adagium: *Quod supra nos, nihil ad nos* eidem tribuunt etiam Lactantius div. instit. l. 3. c. 20. et Hieronymus l. 3. adv. Rufinum n. 28. Ceterum quam dubii haeserint philosophi circa veritates vel summi momenti, testis est nobis Cicero de natura deorum l. 1. c. 1. ubi scribit: „Plerique . . . deos esse dixerunt, dubitare se Pythagoras: nullos esse omnino Diagoras, Melius et Theodorus cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias.“ — Pluribus haec exsequitur Theodoretus in S. 2. de graecarum affect. curatione. *Quod oraculum idem ipse praesensit.* De his variae interpretum conjecturae. Lindner haec ita intelligit: *Oraculum* scil. *idem ipse* Socrates, *praesensit idcirco* etc. Non enim adeo absurdum est virum sapientem *oraculum* appellari. Ante infinitivum *esse* supplendum censet *se*, quod fieri potest ex

praepositum, non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset. Ita confessae imperitiae summa prudentia est. Hoc fonte defluxit Arcesilae, et multo post Carneadis et Academicorum plurimorum in summis quaestionibus tuta dubitatio; quo genere philosophari et caute indocti possunt et docti gloriose. Quid? Simonidis Melesii nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio? qui Simonides, cum de eo, quid et quales arbitraretur deos, ab Hierone tyranno quaereretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum prorogavit, mox alterum tantum admonitus adjunxit; postremo cum causas tantae morae tyrannus inquireret, respondit ille, quod sibi, quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior. Mea quoque opinione, quae sunt dubia, ut sunt, relinquenda sunt: nec tot ac tantis viris deliberantibus temere et audaciter in alteram partem ferenda sententia est, ne aut anilis inducatur superstitio, aut omnis religio destruatur.

14. Sic Caecilius, et renidens (nam indi-

more linguae latinae. Verbis ultimis Ciceronis supra allatis commentarius hujus loci nobis videtur contineri. Al. legunt *persensit.*

gnationis ejus tumorem effusae orationis impetus relaxaverat): Et quid ad haec, ait, audet Octavius homo Plautinae prosapiae[1]), ut pistorum praecipuus, ita postremus philosophorum? Parce, inquam, in eum plaudere: neque enim prius exsultare te dignum est concinnitate sermonis, quam utrinque plenius fuerit peroratum; maxime cum non laudi, sed veritati disceptatio vestra nitatur. Et quamquam magnum in modum me subtili varietate tua delectarit oratio, tamen altius moveor, non de praesenti actione sed de toto genere disputandi, quod plerumque pro disserentium viribus et eloquentiae potestate etiam perspicuae veritatis conditio mutetur. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, sine delectu assentiuntur dictis omnibus: nec a rectis falsa secernunt, nescientes inesse et in incredibili verum et in verisimili mendacium. Itaque quo saepius asseverationibus credunt, eo fre-

[1]) *Plautinae prosapiae* i. e. vilissimae, qualis erat pistorum, e quorum numero erat M. Accius Plautus haud obscurus poeta. Proverbii instar erat haec appellatio *plautinus*. Ceterum Halm valde probat emendationem Stiberi Onoldini, qui putat lectionem *pistorum* ortam esse ex genuina *christorum* i. e. christianorum.

quentius a peritioribus arguuntur. Sic assidue temeritate decepti culpam judicis transferunt ad incerti querelam[1]), ut damnatis omnibus malint universa suspendere, quam de fallacibus judicare. Igitur nobis providendum est, ne odio identidem sermonum omnium laboremus ita, ut in exsecrationem et odium hominum pleriqne simpliciores efferantur. Nam incaute creduli circumveniuntur ab his, quos bonos putaverunt: mox errore consimili jam suspectis omnibus, ut improbos metuunt etiam quos optimos sentire potuerunt. Nos proinde solliciti[2]), quod utrinque in omni negotio disseratur, et ex altera parte plerumque obscura sit veritas, ex altero latere mira subtilitas, quae nonnunquam ubertate dicendi fidem confessae probationis imitetur[3]), diligenter, quantum potest, singula ponderemus, ut argutias qui-

---

[1]) *Culpam judicis* etc. Culpam seu vitium, quod tamquam prudentes judices vitare deberent sed non cavent, transferunt in rem et materiam, quam conqueruntur plenam fuisse caliginis et obscuritatis et incerti. Ali legunt: *culpum judicii sui.*

[2]) *Solliciti*, attenti seu intenti.

[3]) *Fidem confessae probationis imitetur* i. e. quae nonnunquam ita copiose, secure ac confidenter loquitur, ac si probatio esset certa, indubia, ab omnibus approbata et apud omnes in confesso.

dem laudare, ea vero quae recta sunt eligere, probare, suscipere possimus.

15. Decedis (inquit Caecilius) officio judicis religiosi: nam perinjurium est, vires te actionis meae intergressu gravissimae disputationis infringere, cum Octavius integra et illibata habeat singula, si potest refutare [1]). Id, quod criminaris, inquam, in commune, nisi fallor, compendium protuli, ut examine scrupuloso nostram sententiam non eloquentiae tumore, sed rerum ipsarum soliditate libremus. Nec avocanda, quod quereris, diutius intentio, cum toto silentio liceat responsionem Januarii nostri jam gestientis audire.

16. Et Octavius: Dicam equidem, ut potero pro viribus, et annitendum tibi mecum est, ut conviciorum amarissimam labem ver-

---

[1]) Locus sat perplexus et obscurus, ut ostendunt variae eruditorum in eum conjecturae. Alii aliter interpungunt, sed nobis ea videtur interpunctio praeferenda, quam secuti sumus. Sensus hic videtur: Non fungeris officio aequi integrique judicis infrigens gravissimo tuo sermone (c. 14) vires actionis i. e. disputationis meae, qua gentilium causam adversus christianos ago: spectat hoc ad Octavium, si quae protuli argumenta, poterit refutare (alii legunt *reputare*). Quod vero mihi vitio vertis, reponit Minucius, communem in utilitatem protuli, dixi, ut etc.

borum veracium flumine diluamus. Nec dissimulabo, principio ita Natalis mei[1]) errantem, vagam, lubricam nutasse sententiam, ut sit nobis ambigendum, utrum tua eruditio turbata sit[2]), an vacillaverit per errorem: nam interim deos credere, interim se deliberare variavit, ut propositionis incerto incertior responsionis nostrae intentio fundaretur. Sed in Natali meo versutiam nolo, non credo; procul est ab ejus simplicitate subtilis urbanitas. Quid igitur? ut qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffunditur[3]), quia viam nescit, haeret anxius, nec singulas

---

[1]) *Natalis* alterum Caecilii nomen. Incipit hic Octavius respondere ad dicta c. 5.

[2]) *Eruditio turbata sit*, suppleri posset cum Lindner *studio* et *consilio*, ut justa sit oppositio inter eruditionem *turbatam* studio et *vacillantem per errorem*. Improbat scil. Octavius, quod Caecilius nihil certi tueatur, haesitet et erudite quidem disserens plurima attigerit; hoc autem proprium est vel erroris vel versutiae: hujus enim est variare, ut propositionis incerto (cum nihil certi proponitur, defenditur) adhuc incertior, vaga quoque sit responsio, nec enim apte responderi poterit, si incerta est. Halm cum Vahlenio suspicatur legendum esse, *utrum versutia turbata sit*. De lectione et sensu posterioris hujus incisi *ut propositionis incerto* etc. diversae sunt eruditorum conjecturae.

[3]) *Diffunditur*, al. *diffinditur* i. e. dividitur.

audet eligere, nec universas probare: sic cui non est veri stabile judicium, prout infida suspicio spargitur, ita ejus dubia opinio dissipatur[1]). Nullum itaque miraculum est, si Caecilius identidem in contrariis ac repugnantibus jactetur, aestuet, fluctuetur: quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam, quamvis sint diversa quae dicta sunt, una veritate confirmata probataque nec dubitandum ei de cetero est, nec vagandum. Et quoniam meus frater erupit aegre se ferre, stomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos de rebus coelestibus disputare: sciat omnes homines sine delectu aetatis, sexus, dignitatis, rationis et sensus capaces et habiles procreatos; nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam[2]);

---

[1]) *Infida suspicio spargitur.* Applicat exemplum viatoris in bivio dubii haerentis homini, cui non est veri stabile judicium, qui incertus haeret, cum plures se offerunt sententiae, opiniones, suspiciones: hac incertitudine, haesitatione opinionis, sententiae certitudo, quam forte habuerat vel se habere putabat, dissipatur.

[2]) *Sed natura insitos.* Alii alia de hoc loco obscuro suspicantur. Forte legendum est *insitam*, sapientia scil. non est res fortunae seu cujusdam fati, omnibus natura ipsa insita est quaedam sapientia, seu capacitas ad cognoscendu ea, quae homini sunt

quin ipsos etiam philosophos, vel si qui alii artium repertores in memorias exierunt, priusquam solertia mentis parerent nominis claritatem, habitos esse plebejos, indoctos seminudos: adeo divites facultatibus suis illigatos magis aurum suscipere consuesse, quam coelum; nostrates pauperes et commentos esse prudentiam, et tradidisse ceteris disciplinam. Unde apparet ingenium non dari facultatibus, nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum, vel dolendum, si quicunque de divinis quaerat, (quae) sentiat, proferat; cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur: atque etiam quo imperitior sermo, hoc illustrior ratio est; quoniam non fucatur pompa facundiae et gratiae, sed ut est, recti regula sustinetur[1]).

17. Nec recuso, quod Caecilius asserere

---

necessaria, ut ex gr. Deum. — *In memorias*, in nominis celebritatem apud posteros.

[1]) *Recti regula sustinetur.* In disputatione veritas est quaerenda, quae quo imperitior sermo, eo magis elucet, eo facilius agnoscitur, quoniam non fucatur plendere facundiae, sed se sola, se ipsa, (est enim recti regula et norma), sustinetur; non indiget verborum auxilio, fuco et pompa, sed sibi sufficit, sicut vera pulcritudo non indiget fuco, sed se ipsa est contenta, sustinetur, probatur.

inter praecipua connisus est, hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, unde sit, quare sit; utrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod ipsum explorare et eruere sine universitatis inquisitione non possumus, cum ita cohaerentia, connexa, concatenata sint, ut, nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis[1]); nec possis pulchre gerere rem civilem, nisi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem: praecipue cum a feris belluis hoc differamus, quod illa prona in terramque vergentia nihil nata sint prospicere, nisi pabulum; nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in coelum datus est, sermo et ratio, per quae Deum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas nec licet ingerentem sese oculis et sensibus nostris coelestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quaerere quod in sublimi debeas invenire. Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis

---

[1]) *Nisi divinitatis rationem excusseris* i. e. recte de Deo senseris, nec recte de homine poteris judicare, quo nihil verius.

quibusdam temere cohaerentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in coelum sustuleris, et quae sunt infra circaque lustraveris. quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur[1])? Coelum ipsum vide quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur; jam scies quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum, ut solis ambitus faciat; et mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio? Relinquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quod regant cursum navigandi, vel quod arandi metendique tempus indicant: quae singula non modo ut crearentur, fierent, dis-

[1]) Desumpta haec sunt ex Ciceronis l. 2. de natura deorum, ubi ita legimus: „Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec reguuntur."

ponerentur, summi opificis et perfectae rationis eguerunt, verum etiam sentiri, perspici, intelligi sine summa solertia et ratione non possunt. Quid? cum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentemque testatur? Ver aeque cum suis floribus, et aestas cum suis messibus, et autumni maturitas grata, et hiberna olivitas [1]) necessaria: qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentiae quantae, ne hiems sola glacie ureret, aut sola aestas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur. Mari intende, lege litoris stringitur. Quidquid arborum est vide, quam e terrae visceribus animatur. Aspice oceanum, refluit reciprocis aestibus. Vide fontes, manant venis perennibus: fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium [2]), collium flexa, porrecta

---

[1]) *Hiberna olivitas* accipitur a Minucio pro ipsa hieme, quia olivae decembri mense maturescunt, sicut poetae messem pro aestate ponunt.

[2]) Recta montium i. e. erecta. Lactantius l. 2. c. 1: „Nobis autem status *rectus* — a Deo datus est. Lindner.

camporum? Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, et fundatas ungulis, et spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum? Ipsa praecipue formae nostrae pulchritudo Deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula constituti, et omnes ceteri sensus velut in arce compositi.

18. Longum est ire per singula: nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit et decoris: et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quaedam unicuique lineamenta deflexa[1]). Sic et similes universi videmur, et inter se singuli dissimiles invenimur. Quid nascendi ratio? quid cupido generandi? nonne a Deo data est? et ut ubera partu maturescente lactescant, et ut tener foetus ubertate lactei roris adolescat? Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur. Aegypti siccitatem temperat Nilus

[1]) *Lineamenta deflexa* i. e. diversa a lineamentis aliorum, hinc propria, quibus ab ipsis in maxima licet similitudine distinguimur.

amnis; colit Euphrates Mesopotamiam; pro imbribus pensat Indus flumen, et serere Orientem dicitur et rigare [1]). Quod si in-

---

[1]) *Sole deficitur*, destituitur, caret. *Pensat* vices gerit, imbres supplet. Ceterum derivavit haec Minucius ex Cicerone de nat. deorum l. 2. ubi ita scribit: „Aegyptum Nilus irrigat, et cum tota aestate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitos et oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quem quotannis quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed eos etiam conserit, magnam enim vim seminum secum frumenti et similium dicitur deportare.“ — Et iterum: „Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum viderit omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur; multo magis in tantis motibus tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vestutas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.“ Cum autem Octavius in tota hac disputatione, qua adversus Caecilium haec tria demonstrare nititur: Deum esse, eum esse mundi conditorem atque rectorem, ne levissime quidem ad traditionem nescio quam primitivam provocet, sed contentus sit solo rationis lumine soloque principio causalitatis, suffragio suo luculenter confirmat Ecclesiae catholicae doctrinam, qua tenendum est, *ratiocinationem Dei existentiam cum certitudine probare valere* (prop. I. a Bautainio S. Sept.

gressus aliquam domum omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique praeesse ei

---

1840. et a Bonetty 12. Dec. 1855. subscribenda). Quam doctrinam iterum confirmavit Pius IX. ad archiepiscopum monacensem scribens (11. Dec. 1862): „Ex divinis literis et ss. patrum traditione constat, Dei quidem existentiam multasque alias veritates ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci.“ Concilium vero vaticanum Sess. 3. de revel. can. 1. anathema pronunciat: „Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse.“ Mirum autem vere videri debet, nonnullos hanc veritatem, quam Scripturae et patres adeo luculenter testantur (cf. ex. gr. Kleutgen Theologie der Vorzeit v. 2. sect. 6. c. 2), in dubium potuisse vocare. Et sane, ut hanc veritatem una tantum ratione confirmemus, dogma est fidei catholicae, per Adami praevaricationem rationis lumen non fuisse exstinctum. Jam vero „haec vis est divinitatis, inquit ad rem Augustinus in Joan. tr. 106. n. 4., ut creaturae rationali ratione jam utenti non omnino ac penitus possit abscondi“, quibus consonant haec Lactantii (Divin. instit. l. 1. c. 5): „Veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo possit esse tam coecus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem.“ Quo enim excellentior quis est, eo latius diffunditur ejus fama: quo potentior, eo magis ubique se prodit sua in omnia potentia, influxu, providentia. Fieri ergo non solum potest, ut homo rationis lumine perveniat in Dei cognitionem, verum etiam fieri nequit, ut rationis lumine utens Deum

crederes dominum, et illis bonis rebus multo esse meliorem: ita in hac mundi domo, cum

---

ignoret. Hinc vani *μάταιοι*, mente quasi destituti dicuntur in divinis literis homines, *in quibus non subest scientia Dei: et de his quae videntur bona* (en fons ad hanc cognitionem hauriendam sufficiens et idoneus) *non potuerunt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex* (Sap. 13, 1): dicuntur *inexcusabiles*, qui invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta non conspexerunt (Rom. 1, 20): hinc illa Tertulliani (de Spectac. c. 2): „Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem," vel illa Apolog. c. 17: „Haec est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt," quae Cyprianus de idol. vanitate repetit. Huc etiam spectant verba Augustini praeclara (in. Ps. 50. n. 9): „Deus ubique secretus est, ubique publicus; quem nulli licet ut est cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare;" sive Orosii (histor. l. 6. c. 1): „Deum quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest." Quos sequens Hugo a. s. Victore statuit in summa sentent. tr. 1. c. 3: „Deus sic ab initio temperavit notitiam sui, ut sicut nunquam totus potuit comprehendi, sic nunquam prorsus potuit ignorari. Ideo autem totus noluit manifestari, ut fides haberet meritum, nec totus occultari, ut infidelitas de ignorantia non excusaretur." Aurea vero sunt, quae scribit s Bonaventura (in itenerario mentis): „Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, coecus est: qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est; qui ex tantis

coelum terramque [1]) perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem. Ni forte quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas utrum unius imperio, an arbitrio plurimorum coeleste regnum gubernetur: quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de coelo. Quando unquam regni societas aut cum fide coepit, aut sine cruore desiit? Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum, et Thebanorum par, mortuam fabulam, transeo[2]). Ob

---

indiciis primum principium non advertit, stultus est.“

[1]) Censet Halm aliquid excidisse ut participium *lustrans*, vel *perlustrans*, cum verbum *perspicias* referri quidem possit ad *providentiam, legem*, sed de re sub sensu cadente non usurpetur.

[2]) Respicit hic Darii persarum regis historiam. Occisis siquidem magis oppressaque eorum dominatione convenerunt inter se conjurationis duces, eum solum fore regem, cujus equus primus hinniret. Cumque Darii equus sub ipsum solis ortum hinnitum edidisset, ipse solus creatus est rex. *Et thebanorum par, mortuam fabulam, transeo*, vel ut alii legunt *permortuam*, al. *thebanorum par mortuum* etc. alii aliter. Paucis his verbis Minucius, inquit Nourry c. 4. a. 3, decantatam a Statio Polynicis et Eteo-

pastorum et casae regnum de geminis memoria notissima est. Generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit. Vide cetera. Rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus: tu in coelo summam majestatem dividi credas, et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem? cum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum; qui nativitatem omnibus praestet, sibi perpetuitatem; qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo; qui

---

clis fratrum atque Oedipi thebanorum regis filiorum fabulam (l. 11. et 12. Thebaid.) perstringit. Haec autem sic narratur. Cum Oedipus in exsilium sponte proficisceretur, eisdem illis filiis suis regno suo ea lege cessit, ut alternis imperarent. Natu porro major Eteocles, postquam anno primo regnasset, Polynici subsequenti anno imperandi locum denegavit. Repulsam ille passus se contulit ad Adrastum argivorum regem et Argiam illius filiam sibi despondit. Tum coacto exercitu thebanis ille cum Tydeo altero Adrasti genero intulit bellum. In eo autem ambo fratres Eteocles et Polynices singulari certamine inito mutuis vulneribus occiderunt.“ Dein respicit Octavius geminos Romulum et Remum, quorum regnum initio quosdam tantum pastores vilesque casas complectebatur. Gener et socer, de quibus infra est mentio, sunt Pompejus et Caesar. Hisce similia reperies etiam paud Cyprianum de idolorum vanitate, Tertullianum Apol. c. 17.

universa quaecunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, tactu purior est; nec aestimari, sensibus major est, infinitus, immensus, et soli sibi, tantus quantus est, notus: nobis vero ad intellectum pectus angustum est; et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio: magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo quaeras, Deus nomen est: illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est: quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris [1]); si dominum, intelliges utique mortalem. Aufer additamenta nominum, et perspicies ejus claritatem. Quid? quod omnium de isto habeo consensum? Audio vulgus, cum ad coelum manus tendunt, nihil aliud quam *Deum* dicunt, et, *Deus magnus est*; et, *Deus verus est*; et, *si Deus dederit*.

[1]) *Quem si patrem.* Epitetha *terrenum* et *carnalem* aptius haud dubie sic transposueris: Quem si patrem dixero, carnalem opineris; si regem, terrenum suspiceris. Wopkenius.

Vulgi iste naturalis sermo est, an christiani confitentis oratio? Et qui Jovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt [1]).

19. Audio poëtas quoque „unum patrem divum atque hominum“ praedicantes [2]), et „talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium diem induxerit“. Quid mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius? „Principio, ait, coelum et terras“ et cetera mundi membra „spiritus intus alit, et infusa mens agitat: inde hominum pecudumque genus“, et quidquid aliud animalium.

---

[1]) Qui Jovem deorum supremum dicunt, conveniunt quidem nobiscum in admittendo uno supremo numine, falluntur tamen in nomine, nam hoc supremum numen non est Jupiter. Simile argumentum ex repentinis ipsa natura expressis Dei invocationibus passim derivant apologetae christiani, ut fere iisdem verbis Cyprianus de idolorum vanitate, Lactantius div. instit. l. 2. c. 2; in primis vero Tertullianus, qui illud dicit *testimonium animae naturaliter christianae.* Cf. Apol. c. 17; de testimonio animae c. 2; ad Scapulam c. 4. Cf. Nourry c. 3. a. 8.

[2]) Sunt haec Enniі poetae: sequentia Homeri Odys. 18, 135 s.; alia apud Virgilium reperiuntur Aeneid. l. 6. v. 724; Georgic. l. 4. v. 221 ss. In haec et in philosophorum opiniones, quarum hic mentio fit, erudite disserit Nourry c. 4.

Idem alio loco, mentem istam et spiritum Deum nominat; haec enim verba sunt:

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, coelumque profundum:
Unde homines et pecudes, unde imber et ignes.

Quid aliud et a nobis Deus, quam mens, et ratio, et spiritus praedicatur? Recenseamus, si placet, disciplinam philosophorum; deprehendes eos, et si sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam. Omitto illos rudes et veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de coelestibus disputavit. Is Milesius Thales rerum initium aquam dixit: Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta formaverit. Eho [1]) (f. Et quod) altior

[1]) Multae et variae in h. l. obscurum et probabiliter amanuensium incuria depravatum eruditorum sunt conjecturae, aliis legentibus *eo*, aliis *et*. Utut sit, inquit Nourry c. 4. a. 1, sensus Minucii esse videtur „altiorem et sublimiorem esse aquae et spiritus, tamquam rerum omnium causae, ut ajunt, materialis et efficientis rationem, quam ut ab homine potuerit inveniri, nisi a Deo ipso edoceatur. . . . Id Thales discere poterat ab Aegyptiis, quibuscum congressus fuerat . . . Aegyptii autem a Moyse etc.“

et sublimior aquae et spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri: a Deo traditum. Vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Anaximenes deinceps et post Apolloniates Diogenes aëra Deum statuunt, infinitum et immensum. Horum quoque similis de divinitate consensio est. Anaxagorae vero descriptio et motus infinitae mentis Deus dicitur. Et Pythagorae Deus est animus, per universam rerum naturam commeans et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem notum est, omne infinitum cum mente Deum tradere; et Antisthenem populares deos multos, sed naturalem unum praecipuum; Speusippum vim naturalem, animalem, qua omnia regantur, Deum nosse. Quid Democritus? quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, quae imagines fundat[1]), et intelligentiam Deum loquitur? Straton quoque et ipse naturam. Etiam Epicurus ille, qui deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles va-

---

[1]) *Quae imagines fundat*, simulacra, εἴδωλα emittit quibus incidentibus visum peragi Democritus existimavit. Cf. David in h. l. *Deum loquitur*, naturam Deum esse dicit.

riat, et assignat tamen unam potestatem: nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum praefi:it. [Aristoteles Ponticus variat, alias mundo, alias menti divinae tribuens principatum[1])]. Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, ascribit, (Theophrastus, et) Zenon, et Chrysippus, et Cleanthes sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiae omnes revolvuntur. Cleanthes enim mentem, modo animum, modo aethera, plerumque rationem Deum disseruit. Zenon ejusdem magister naturalem legem atque divinam, et aethera interim, interdumque rationem vult omnium esse principium. Idem interpretando Junonem aëra, Jovem coelum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, et ceteros similiter vulgi deos elementa esse monstrando, publicum arguit graviter et revincit errorem. Eadem fere Chrysippus, vim divinam, rationalem naturam, et mundum interim, et fatalem necessitatem Deum credit, Zenonemque interpreta-

[1]) Totam hanc periodum tamquam purum glossema delendam putant Heraldus, Meursius etc. Halm vero cum Vahlenio conjicit legendum esse, *Theophrastus etiam variat*, et hoc incisum postponunt sequenti *Heraclides ponticus* etc.

tione physiologica in Hesiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi[1]) et disserendi, Jovis partum, et ortum Minervae, et hoc genus cetera, rerum vocabula esse, non deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri posse, et ideo quaeri non oportere: Ariston stoicus, comprehendi omnino non posse. Uterque majestatem Dei intelligendi desperatione senserunt. Platoni apertior de Deo, et rebus ipsis, et nominibus oratio est, et quae tota esset coelestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timaeo Deus est ipso suo nomine mundi parens, artifex animae, coelestium terrenorumque fabricator: quem et invenire difficile prae nimia et incredibili potestate, et cum inveneris, in publicum dicere impossibile praefatur. Eadem fere sunt ista quae nostra sunt. Nam et Deum novimus, et parentem omnium dicimus; et nunquam publice nisi interrogati praedicamus.

---

[1]) *Babylonio Diogeni disciplina est* i. e. ipse profitetur, docet Jovis partum aliaque, quae de diis narrantur, symbolice esse intelligenda et exponenda, de qua interpretatione, ut ajunt, *physiologica* cf. plura apud Augustinum de civ. Dei l. 6. c. 8. l. 7, passim.

20. Exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus: ut quivis arbitretur, aut nunc christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse jam tunc christianos. Quod si providentia mundus regitur, et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis suis delectata vel capta ad errorem mutui rapere consensus, cum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis assistit auctoritas. Majoribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monstruosa mira miracula: scyllam multiplicem, chimaeram multiformem, et hydram felicibus vulneribus renascentem, et centauros equos suis hominibus implexos; et quidquid famae licet fingere, illis erat libenter audire. Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras, (f. de feris) homines et de hominibus arbores atque flores? quae si essent facta, fierent; quia fieri non possunt, ideo nec facta sunt. Similiter vero ac erga deos quoque majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt: dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt

eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quae fuerant assumpta solatia. Denique et antequam commerciis orbis pateret, et antequam gentes ritus suos moresque miscerent, unaquaeque natio conditorem suum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam sexu suo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonae memoriae. Sic et defunctis praemium, et futuris dabatur exemplum.

21. Lege historicorum scripta, vel scripta sapientium: eadem mecum recognosces. Ob merita virtutis aut muneris deos habitos Euhemerus[1]) exsequitur, et eorum natales, patrias, sepulcra dinumerat, et per provincias monstrat: Dictaei Jovis, et Apollinis Delphici, et Phariae Isidis, et Cereris Eleusiniae. Prodicus assumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuere. In eandem sententiam et Persaeus philosophatur, et annectit[2]) inventas fruges et frugum ipsarum repertores

---

[1]) Euhemerus graecus est scriptor, cujus meminit Cicero de nat. deorum l. 1. c. 42. Alii legunt *Enueret* absque ullo sensu.

[2]) *Annectit* i. e. tribuit frugibus nomen repertorum, ut vino nomen *Bacchi*, pani nomen *Cereris*.

iisdem nominibus, ut comicus sermo est, Venerem sine Libero et Cerere frigere. Alexander ille Magnus (Macedo) insigni volumine[1]) ad matrem suam scripsit, metu suae potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum: illic Vulcanum[2]) facit omnium principem, et postea Jovis gentem; et despicis Isidis ad hirundinem, sistrum, et

---

[1]) Hujus Alexandri M. epistolae, quam suppositam esse omni ope contendit Sablonsky in Pantheon Aegypt. proleg. 15, 16, meminerunt etiam Cyprianus de idol. vanit., Athenagoras in sua leg. pro christianis, Augustinus de civ. Dei l. 8. cc. 5, 27 etc. Plura de ea cf. ap. Nourry c. 15. a. 3. Quae sequntur obscura sunt, probabiliter etiam depravata. Cum non vacet haec gentilium absurda somnia et fabellas uberius persequii, paucis notulis contenti erimus. Lindner ordinem cc. 21—23 perturbatum censet.

[2]) *Vulcanum.* Legendum probabiliter *Uranum*, sic enim Lactantius de eodem argumento disserit (Instit. 1, 13): „Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnasse Saturnum, sed Uranum patrem.“ Cf. Lindner in h. l. Sequentia verba depravata videntur, hinc plurimae praesto sunt eruditorum de hoc loco admodum obscuro conjecturae et interpretationes. Nourry postquam c. 15. a. 3. candide fassus est interpretationis difficultatem, quibusdam docte notatis subdit: „Quibus ita explicatis, expende, quaeso, an dici possit hanc esse auctoris nostri mentem. Alexander sua in epistola scripsit repraesentari Isidem seu Cererem frumenti a se, uti aje-

adspersis membris inanem tui Serapidis sive Osiridis tumulum. Considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria, invenies exitus tristes, fata, et funera, et luctus atque planctus miserorum deorum. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit: et Isiaci[1]) miseri caedunt pectora, et dolorem infelicissimae matris imitantur: mox, invento parvulo, gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur; nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? Haec tamen aegyptia quondam, nunc et sacra romana sunt. Ceres facibus accensis et serpente circumdata errore subreptam et coruptam Liberam[2]) anxia et sollicita vestigat. Haec sunt Eleusinia. Et quae Jovis sacra sunt? Nutrix capella est, et avido patri subtrahitur infans ne voretur, et Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus

---

bant, inventi spicas in capite, subtus hirundinem, in quam mutata fuerat, ac dextera manu sistrum gestantem.“ Halm: *Ad sparsis,*

[1]) *Isiaci*, Isidis sacerdotes.

[2]) *Liberam*. Sic vocabatur Proserpina, Cereris filia.

eliditur[1]). Cybele Dindyma, pudet dicere, quae adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, ut moltorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut Deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. Haec jam non sunt sacra, tormenta sunt. Quid formae ipsae et habitus? nonne arguunt ludibria et dedecora deorum vestrorum? Vulcanus claudus deus et debilis: Apollo tot aetatibus levis[2]): Aesculapius bene barbatus, etsi semper adolescentis Apollinis filius: Neptunus glaucis oculis, Minerva caesiis, bubulis Juno: pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis: Janus vero frontes duas gestat, quasi ut aversus incedat: Diana interim est alte succincta venatrix; et Ephesia mammis multis et veribus[3]) exstructa; et Trivia trinis

[1]) *Tinnitus eliditur.* Variae in h. l. sunt conjecturae. Tinnitum elidere dici potest sicut sonum elidere i. e. edere. *Corybantes* dicebantur Cybeles sacerdotes.

[2]) *Levis*, juvenilis, semper adolescens, ut eum statim appellat.

[3]) *Veribus*, alii legunt: *uberibus* i. e. plenis. Holstenius, *verubus*, qui etiam epistolam scripsit (Romae 1688. ed.) *de verubus Dianae ephesiae.*

capitibus et multis manibus horrifica. Quid ipse Jupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur: et cum Hammon dicitur, habet cornua; et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina; et cum Latiaris, cruore perfunditur; et cum Feretrius, non aditur[1]). Et ne longius multos Joves obeam, tot sunt Jovis monstra, quot nomina. Erigone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita sit: Castores alternis moriuntur, ut vivant: Aesculapius, ut in Deum surgat, fulminatur: Hercules, ut hominem exuat, Oetaeis[2]) ignibus concrematur.

22. Has fabulas et errores et ab imperitis parentibus discimus, et, quod est gravius, ipsis studiis et disciplinis elaboramus, carminibus praecipue poëtarum, qui plurimum quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuere. Et Plato ideo praeclare Homerum illum inclytum, laudatum et coronatum, de civitate, quam in sermone instituebat, ejecit[3]).

---

[1]) *Non aditur* scil. a supplicaturis. Alii, *auditur* i. e. spernitur, contemnitur; alii aliter.

[2]) *Oetaeis.* Al. *Henneis.* Hercules concrematus est in pyra in monte Oetaeo constructa.

[3]) Ita Plato l. 3. de republ.: „Si quis in urbe nostra voluerit poemata sua (Homeri) ostentare, ve-

Hic enim praecipuus bello Troico deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit. Hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit: Jovem narrat a Briareo liberatum, ne a diis ceteris ligaretur; et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus flevisse; et loro[2]) Veneris illectum flagrantius quam in adulteras soleat, cum Junone uxore concumbere. Alibi Hercules stercora egerit, et Apollo Admeto pecus pascit. Laomedonti vero muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accipit. Illic Jovis fulmen cum Aeneae armis in incude fabricatur: cum coelum et fulmina et fulgura longe ante fuerint, quam Jupiter in Creta nasceretur, et flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipse Jupiter non

---

nerabimur quidem ipsum ut sacrum, admirabilem et jucundum; dicemus autem fas non esse, ut ejusmodi homo sit in republica nostra; emittemusque eum aliam in urbem, effuso in capite ipsius unguento, impositaque corona lanea.“ En *laudatum* prius poëtam, deinde *coronatum*, tum *e civitate ejectum*. **Heumann.**

[2]) *Loro* cl. *thoro*. Infra Halm supplens nomen *Vulcanus* legit. Illic *Vulcanus* Jovis fulmen etc. fabricatus.

vereri. Quid loquar Martis et Veneris adulterium deprehensum? et in Ganymedem Jovis stuprum coelo consecratum? Quae omnia in hoc prodita [1]), ut vitiis hominum quaedam auctoritas pararetur. His atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, et iisdem fabulis inhaerentibus adusque summae aetatis robur adolescunt, et in iisdem opinionibus miseri consenescunt: cum sit veritas obvia, sed requirentibus. Saturnum enim principem hujus generis et examinis[2]) omnes scriptores vetustatis, graeci romanique, hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia: et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii saevientis accesserat, et Jani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit ut graeculus et politus, literas imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocare malut Latium, et urbem Saturniam idem (al. dedit de suo nomine, et Janiculum Janus ad

[1]) *Prodita* i. e. tradita, excogitata.

[2]) *Examinis*, turbae, multitudinis. Haec et sequentia Lindner et Halm transferunt ad n. 27.

memoriam uterque posteritatis reliquerunt. Homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis et natus ex homine; terrae enim et coeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus: ut in hodiernum inopinato visos, coelo missos, ignobiles et ignotos, terrae filios nominamus. Ejus filius Jupiter Cretae excluso parente regnavit, illic obiit, illic filios habuit; adhuc antrum Jovis visitur, et sepulcrum ejus ostenditur, et ipsis sacris suis humanitatis arguitur.

23. Otiosum est ire per singulos, et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas in ceteros ipso ordine successionis influxerit. Nisi forte post mortem deos fingitis: et (f. ut) pejerante Proculo deus Romulus: et Juba Mauris volentibus deus est: et divi ceteri reges, qui consecrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritae potestatis. Invitis his denique hoc nomen ascribitur; optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt; etsi jam senes nolunt. Ergo nec de mortuis dii, quoniam deus mori non potest; nec de natis, quoniam moritur omne quod nascitur: divinum autem id est, quod nec ortum habet, nec occasum. Cur enim si nati

sunt, non hodieque nascuntur? nisi forte jam Jupiter senuit, et partus in Junone defecit; et Minerva canuit antequam peperit: an ideo cessavit ista generatio, quoniam nulla hujusmodi fabulis praebetur assensio? Ceterum si dii creare (f. creari) possent, interire non possent, plures totis hominibus deos haberemus; ut jam eos nec coelum contineret, nec aër caperet, nec terra gestaret. Unde manifestum est, homines illos fuisse, quos et natos legimus et mortuos scimus. Quis ergo dubitat horum imagines consecratas vulgus orare, et publice colere, dum opinio et mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore praestringitur, argenti nitore et candore eboris hebetatur? Quod si in animum quis inducat, tormentis quibus et quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem ab artifice, ut deum faceret, illusam[1]). Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, caeditur, dolatur, runcinatur. Et deus aereus vel argenteus, de immundo vasculo, ut saepius factum Aegyptio regi, conflatur,

[1]) *Illusam*, male tractatam, injuria propemodum affectam, quam mox describit: Deus *enim* . . . suspenditur. Vel materiam ex qua artifex quasi ludendo Deum efficit.

tunditur malleis et (in) incudibus figuratur: et lapideus caeditur, scalpitur, et ab impurato[1]) homine laevigatur: nec sentit suae nativitatis injuriam, ita ut nec postea de vestra veneratione culturam; nisi forte nondum deus saxum est, vel lignum, vel argentum. Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, sculpitur. Nondum deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur: tunc postremo deus est, cum homo illum voluit et dedicavit.

24. Quanto verius de diis vestris animalia muta naturaliter judicant! Mures, hirundines, milvi non sentire eos sciunt, norunt; inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant. Araneae vero faciem ejus intexunt, et de ipso capite sua fila suspendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis, et illos, quos facitis, protegitis et timetis. Dum unusquisque vestrum non cogitat, prius se debere deum nosse quam colere; dum inconsulte gestiunt parentibus obedire; dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere[2]), dum nihil ex his quae timent

[1]) Ab *impurato* idem ac ab impuro. Al. supra: *Ut accepimus factum.*

[2]) *Quam sibi credere.* Ut horum falsitas agn

norunt: sic in auro et argento [1]) avaritia consecrata est; sic statuarum inanium consignata forma; sic nata romana superstitio. quorum ritus si percenseas, ridenda quammulta, (quam multa) etiam miseranda sunt. Nudi cruda hieme discurrunt: alii incedunt pileati, scuta vetera circumferunt, pelles caedunt, mendicantes vicantes [3]) deos ducunt. Quaedam fana semel anno adire permittunt: quaedam in totum nefas visere. Est quo viro non licet, et nonnulla absque feminis sacra sunt? etiam servo quibusdam caerimoniis interesse piaculare flagitium est. Alia sacra coronat[4]) univira, alia multivira, et magna religione conquiritur, quae plura possit adulteria numerare. Quid? qui sanguine suo libat, et vulneribus suis supplicat, non [1]) profanus melius esset, quam sic religiosus? aut cui

catur, sufficit sana uti ratione, hujus consulere judicium, atque illud animae naturaliter christianae testimonium, de quo supra n. 18. egerat; sed malunt homines aliorum coece sectari errores.

[2]) *In auro et argento*, e quo scil. deorum simulacra conflata sunt, avaritia colitur, consecretur.

[3]) *Vicantes*, vicatim.

[4]) *Sacra coronat*, in aliis sacris corouas idolis imponit. Cf. Nourry erudite in haec omnia commentantem c. 22.

[1]) *Non*, nonne.

exta (al. testa) sunt obscoena demessa, quomodo deum (non) violat, qui hoc modo placat! cum, si eunuchos deus vellet, posset procreare, non facere. Quis non intelligat male sanos et vanae et perditae mentis in ista desipere, et ipsam errantium turbam mutua sibi patrocinia praestare? Hic defensio communis furoris est furentium multitudo.

25. Attamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, cum non tam virtute, quam religione et pietate pollerent[1]). Nimirum insignis et nobilis justitia romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. Nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? Nam asylo prima plebs congregata est. Confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores. Et ut ipse Romulus, imperator et rector, populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. Haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. Mox alienas virgines jam desponsatas, jam destinatas, et nonnullas de ma-

[1]) Respicit hic quae dixerat Caecilius u. 6 s. et respondet primum ironice. Cf. Tertullianum Apolog. c. 25. et Augustinum ad haec fuse respondentem de civ. Dei II. 3, 4.

trimonio mulierculas sine more[1]) rapuit, violavit, illusit; et cum earum parentibus, id est, cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius[2])? Jam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et postremis (al. posteris) ducibus disciplina communis est. Ita quidquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est, de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum. Hoc insultare et illudere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quae manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Toties ergo Romanis impiatum[3]) est, quoties triumphatum: tot de diis spolia, quot de gentibus et tropaea. Igitur Romani non ideo tanti quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. Neque enim potuerunt in ipsis bellis

---

[1]) *Sine more*, sine exemplo.

[2]) *Tutius*, Dombarti *turpius*, Halm conjicit legendum *tetrius*.

[3]) *Impiatum*. Impiare idem ac polluere. Toties ergo romani pollutionis sunt rei etc.

deos adjutores habere, adversus quos arma rapuerunt, et quos postulaverant detriumphatos colere coeperunt[1]). Quid autem isti dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis adversus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos novimus. Romulus, Picus, Tiberinus, et Consus, et Pilumnus, ac Volumnus dii. Cloacinam Tatius et invenit et coluit: Pavorem Hostilius atque Pallorem: mox a nescio quo Febris dedicata: haec alumna urbis istius superstitio[2]), morbi et malae valetudines. Sane et Acca Larentia et Flora, meretrices propudiosae, inter morbos Romanorum et deos computandae. Isti scilicet adversus ceteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt: neque enim eos adversum suos homines vel Mars thracius, vel Jupiter creticus, vel Juno nunc argiva, nunc samia, nunc poena, vel Diana taurica, vel mater Idaea,

---

[1] Al. *quos postraverant* eodem fere sensu. *Postulaverant* i. e. provocaverant arreptis armis.

[2]) *Haec alumna etc.* i. e. haec sunt numina alumna Romae urbis. Numina alumna alicujus gentis sunt, quae ab ea educata et enutrita sunt, et opponuntur diis peregrinis, quos aliquis populus suos fecit, assumpto eorum cultu ac religione. Lindner. De his ridiculis diis cf. plura apud Augustinum de civit. Dei l. 6. c. 9.

vel aegyptia illa, non numina, sed portenta juverunt. Nisi forte apud istos major castitas virginum, aut religio sanctior sacerdotum, cum pene in pluribus virginibus, sed quae inconsultius se viris miscuissent, Vesta sane nesciente, sit incestum vindicatum; in residuis impunitatem fecerit, non castitas tutior, sed impudicitia felicior. Ubi autem magis a sacerdotibus quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in aedituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur. Et tamen ante eos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persae, Graeci etiam et Aegyptii, cum pontifices et arvales, et salios, et vestales, et augures non haberent nec pullos cavea reclusos, quorum cibo vel fastidio respublica summa regeretur.

26. Jam enim venio ad illa auspicia et auguria romana, quae summo labore collecta testatus es, et poenitenter omissa et observata feliciter. Clodius scilicet et Flamminius, et Junius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum solistimum [1]) tripudium ex-

[1]) *Solistimum* dicebatur tripudium, cum in auspicando esca ex ore pulli decidebat, quod prosperum erut augurium. Alii legunt *solemnissimum*. Cf. supra n. 7.

spectandum non putaverunt? Quid Regulus? nonne auguria servavit et captus est? Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est et deditus. Pullos edaces habuit et Paulus apud Cannas, tamen cum majore reipublicae parte prostratus est. Caius Caesar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit; eo facilius et navigavit et vicit. Quae vero et quanta de oraculis prosequar? Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditum iri se ob monile ab uxore nescivit. Tiresias coecus futura videbat, qui praesentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, cum jam Apollo versus facere desisset: cujus tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum, cum et politiores homines et minus creduli esse coeperunt. Et Demothenes, quod sciret responsa simulata, *φιλιππίζειν* Pythiam querebatur. At nonnunquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigere. Quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus, aggrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius eruere et aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri, vagi, a

coelesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiae suae onusti et immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suae non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere, et alienati a Deo, inductis pravis religionibus, a Deo segregare. Eos spiritus daemonas esse poëtae sciunt, philosophi disserunt, Socrates novit, qui ad nutum et arbitrium assidentis sibi daemonis vel declinabat negotia, vel petebat. Magi quoque, non tantum sciunt daemonas sed etiam quidquid miraculi ludunt, per daemonas faciunt. Illis aspirantibus et infundentibus praestigias edunt, vel quae non sunt, videri; vel quae sunt, non videri. Eorum magorum et eloquio et negotio primus Hostanes [1]) et verum Deum merita majestate prosequitur, et angelos, id est, ministros et nuncios Dei, sed veri ejusque venerationi novit assistere; ut et nutu ipso et vultu Domini territi contremiscant. Idem etiam daemonas prodidit terrenos, va-

[1]) Hujus primum meminit Plinius l. 30. c. 1, eumque tradit Xerxi regi persarum bellum inferenti adhaesisse atque semina magicae artis sparsisse orbemque universum, quaqua versatus est, infecisse Migne in h. l.

gos, humanitatis inimicos. Quid Plato? qui invenire Deum negotium[1]) credidit, nonne et angelos sine negotio narrat et daemonas? et in Symposio etiam suo naturam daemonum exprimere connititur? vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis et coelestis levitatis admixtione concretam, ex qua monet[2]) etiam nos procupidinem amoris, et dicit informari et labi pectoribus humanis, et sensum movere, et affectus fingere, et ardorem cupiditatis infundere.

27. Isti igitur impuri spiritus, daemones, ut ostensum a magis, a philosophis, et a Platone, sub statuis et imaginibus conse-

---

[1]) *Negotium* i. e. rem difficilem.

[2]) *Ex qua monet.* Alii alias in h. l. proponunt conjecturas. Lindner legere vult: Ex qua manet etiam *in eos* (loco *nos*) hoc sensu: Plato vult ex ea terreni ponderis admixtione manare in eos spiritus sive daemones procupidinem i. e. *πρόληψιν* quandam amoris (carnalis, impuri). Sed aliorum correctio forte praeferenda: Ex qua *manet* etiam *in* nos etc. Docet scil. substantiam hanc i. e. daemones auctores esse in nobis procupidinis amoris, i. e. eos excitare concupiscentiam, quae ducat et inducat ad deliberatam cupidinem pravam, quod ex sequentibus, quae instar commentarii hujus incisi sunt, confirmatur.

cratis delitescunt, et afflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirantur [1]) interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam et falluntur et fallunt, ut et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt in perditionem sui non confitentes. Sic a coelo deorsum gravant, et a Deo vero ad materias avocant, vitam turbant, somnos inquietant; irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis quae constrinxerant, curasse videantur. Hi sunt et furentes [2]), quos in publicum videtis ex-

[1]) *Dum inspirantur.* Malunt alii legere *inspirant*, sed nulla necessitas, possunt dici daemones inspirari (quasi ab aliquo alio) vatibus, cum vates ab iis occupantur et quasi possidentur. His quae hoc c. Octavius docet similia habet Tertullianus Apol. c. 22. 23. Cyprianus vero clarius: „Hi afflatu suo vatum pectora inspirant."

[2]) *Hi* (sc. *hinc*) *sunt et furentes.* Locus vexatissimus; hunc de lectione, interpunctione, sensu dissentiunt eruditi. Sensus videtur esse: Hi daemones operantur et in illis, qui furunt per vias, in plateis,

currere, vates et ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur. Par et in illis instigatio daemonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam illa, quae paulo ante tibi dicta sunt[1]), ut Jupiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronae navicula sequeretur. Haec omnia sciunt pleraque pars vestrum, ipsos daemonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur[2]). Ipse Saturnus, et Serapis, et Jupiter,

hunc istis ministeriis non differunt a vatibus nisi quod sint absque templo, quod non furant in templo, in ipso dei cultu; ceterum sic i. e. simili plane modo insaniunt, similiter bacchantur, similiter rotantur, par instigatio daemonis, sed dispar argumentum furoris, nam in vatibus habetur ut argumentum divinitatis, in istis argumentum, indicium est morbi. Sed forte illud *furentes* referendum est ad *vates*, adeo ut Octavius duo distinguat vatum genera, alii bacchantes in templo, alii absque templo, extra illud furentes, qui in publicum excurrebant, hinc duplex, dispar instigationis daemoniacae modus.

[1]) Respondet hic ad dicta, ad quae provocavera Caecilius c. 7.

[2]) Cf. de hi dissert. *Daemon vel invitus testis divinae originis religionis christ.* opusc. t. 1. p. 105 ss. et annot. ad s. Hieronymi ep. 5. n. 8 opusc. t. 11. p. 128 ss.

et quidquid daemonum colitis, victi dolore, quod sunt eloquuntur: nec utique in turpitudinem sui, nonnullis praesertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus esse eos daemonas credite fassis: adjurati enim per Deum verum et solum inviti, miseris corporibus inhorrescunt; et vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. Sic christianos de proximo fugitant, quos longe in coetibus per vos lacessebant. Ideo inserti mentibus imperitorum odium nostri serunt occulte per timorem. Naturale est enim et odisse quem timeas, et quem metueris infestare, si possis. Sic occupant animos, et obstruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odisse, quam nosse: ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

28. Quam autem iniquum sit, incognitis et inexploratis[1]) judicare, quod facitis, nobis ipsis poenitentibus credite; et nos enim idem fecimus, et eadem vobiscum quondam adhuc caeci et hebetes sentiebamus: quasi christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent: nec intelli-

---

[1]) *Incognitis et inexploratis* scil. rebus, causis Cf. Tertullianum Apol. c. 1, 2. Vel forte suppl. *de*.

gebamus ab his[1]) fabulas istas semper ventilari, et nunquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem exsistere qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum; malum autem adeo non esse, ut christianus reus[2]) nec erubesceret, nec timeret, et unum solummodo, quod non ante fuerit, poeniteret. Nos tamen cum sacrilegos aliquos et incestos, parricidas etiam defendendos et tuendos suscipiebamus, hos[3]) nec audiendos in totum putabamus: nonnunquam etiam miserantes eorum crudelius saeviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent; exercentes in his perversam quaestionem, non quae verum erueret sed quae mendacium cogeret. Et si quis infirmior malo[4]) pressus et victus christianum se negasset, favebamus ei, quasi ejerato nomine jam omnia facta sua illa negatione purgaret. Agnoscitisne eadem nos sensisse et egisse,

---

[1]) *Ab his* i. e. daemonibus, de quibus n. 17.

[2]) *Christianus reus*, ut christianus tamquam reus accusatus et delatus nec erubesceret nec timeret, quod proprium est reorum, et unum solummodo, quod non ante fuerit christianus, poeniteret.

[3]) *Hos* i. e. christianos.

[4]) *Malo*, tormentorum acerbitate.

quae sentitis et geritis? Cum si ratio, non instigatio daemonis judicaret, urgendi magis, non ut diffiterentur se christianos, sed ut de incestis, stupris, de impiatis sacris, de infantibus immolatis faterentur. His enim et hujusmodi fabulis iidem daemones ad exsecrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserunt. Nec tamen mirum, cum hominum fama, quae semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur: sic est negotium daemonum, ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur [1]). Inde est quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus, ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos et totos asinos in stabulis cum vestra vel Epona consecratis [2]), et eosdem

---

[1]) In hoc loco sive scribendo sive explicando nonnihil laborant eruditi. Sensus autem est: Mirum esse non debet, quod gentiles tormentis suis magis nitantur christianos ad defectionem inducere, quam in criminum inquirere veritatem. Hanc enim facile detegerent, sed ostensa veritate fama, quae mendaciis alitur, consumeretur, falsa comprobaretur: sed hoc est negotium daemonum fovere rumores falsos, quo gentiles ab amplectenda religione christiana deterreant.

[2]) *Vel Epona consecratis.* Supplet Rigaltius (quem sequitur Halm) *sua* propter hunc similem Tertulliani locum Apol. c. 16: „Vos tamen non

asinos cum Iside religiose decoratis: item boum capita et capita vervecum et immolatis et colitis: de capro etiam et homine mixtos deos, et leonum et canum vultibus deos dedicatis. Nonne et Apim bovem cum Aegyptiis adoratis et pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, belluis ceteris, et avibus et piscibus; quorum aliquem deum si quis occiderit, etiam capite punitur. Iidem Aegyptii cum plerisque vobiscum non magis Isidem, quam ceparum acrimonias metuunt; nec Serapidem magis, quam strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt. Etiam ille, qui de adoratis sacerdotis virilibus adversum nos fabulatur, tentat in nos conferre quae sua sunt. Ista enim impudicitiae eorum forsitan sacra siut, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui scortorum licentiae invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhaerescunt, homines malae linguae, etiam si tacerent; quos prius taedescit im-

---

negabitis et jumenta omnia et totos cantherios *cum sua Epona* coli a vobis." Hinc sensus: Nisi quod vos et totos asinos in stabilis cum vestra (i. e. dea, quam colere vos non pudet) vel sua Epona (i. e. sive illa potius dea, quae ad asinorum stabula pertinet) consecratis.

pudicitiae suae, quam pudescit. Pro nefas! id in se mali facinoris admittunt, quod nec aetas potest pati molior, nec cogi servitus durior.

29. Haec et hujusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est[1]). Ea enim de castis fingitis et pudicis, quae fieri non crederemus, nisi de vobis probaretis. Nam quod religioni nostrae hominem noxium et crucem ejus adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Nae ille miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis innititur; totum enim ejus auxilium cum exstincto homine finitur. Aepyptii sane hominem sibi, quem colant, eligunt, illum unum propitiant, illum de omnibus consulunt, illi victimas caedunt: et (al. at) ille, qui ceteris deus, sibi certe homo est, velit nolit; nec enim conscientiam suam decipit, si fallit alienam. Etiam principibus et regibus, non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut deis turpiter adulatio falsa blanditur, cum et praeclaro viro honor verius, et optimo amor dulcius praebeatur. Sic eorum numen

[1]) *Pluribus turpe defendere est*, pluribus de his defensionis causa loqui, turpe est.

vocant, ad imagines supplicant, genium, id est, daemonem ejus (al. eorum) implorant, et est eis tutius per Jovis genium pejerare, quam regis. Cruces etiam nec colimus [1]), nec optamus. Vos plane, qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis. Nam et signa ipsa, et cantabra[2]), et vexilla castrorum, quid aliud quam inauratae cruces sunt et ornatae? Tro-

---

[1]) *Cruces nec colimus.* Christianis vitio vertebat Caecilius, quod crucem colerent. Hinc supra c. 9. *crucis ligna feralia* christianorum caeremonias vocabat. Et c. 12. clarius adhuc crucis cultum christianis objiciens: „Ecce, inquit, vobis jam non adorandae, sed subeundae cruces." Quando igitur Caecilio haec objicienti Minucius respondet, *cruces non colimus*, de cultu sane absoluto, quem Caeciliana objectio prae se ferebat, ejusmodi verba accipienda noscuntur. Perinde ac si dixisset Minucius: Cruces non ita colimus christiani, ut crucibus ipsismet honorem cultumque tribuamus, quemadmodum quidem vos ethnici vestra colitis simulacra. Atque hanc esse auctoris nostri sententiam ex iis liquet, quae statim subdit eam ipsam accusationem in gentiles retorquens: „Vos plane, qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis." Videsis Diar. erudit. Ital. t. 27. p. 391 s.; et adi VV. cll. Orsi histor eccles. l. 6. § 7. ac Trombellium de cultu SS. t. 2. p. 3. p. 373. **Gallandi.**

[2]) *Cantabra*, vexilla militum.

paea vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et affixi hominis imitantur. Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur; et cum erigitur jugum, crucis signum est, et cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur [1]).

30. Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit aut credit de caede infantis et sanguine. Putas posse fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem sanguinem novelli et vixdum hominis caedat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc astrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quae in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis exstin-

---

[1]) *Ita signo crucis etc.* Ratio naturalis, sagacitas naturalis *innititur* utitur tamquam medio peropportuno crucis signo ad certos quosdam effectus, ut in navi etc. et religio *formatur* i. e. signum crucis est quaedam religionis forma, significatio, ritus, cum manibus expansis (pro more veterum) orantes crucis signum formamus, exprimimus.

guant, et parricidium faciant antequam pariant. Et haec utique de deorum vestrorum disciplina descendunt. Nam Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. Merito ei in nonnullis Africae partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur[1]). Tauris etiam Ponticis et Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallos humanas vel inhumanas[2]) victimas caedere: Romani Graecum et Graecam, Gallum et Gallam sacrificiis viventes obruere[3]): hodieque ab ipsis Latiaris Jupiter

[1]) *Immoletur.* Halm praeeunte Ursino non immerito censet legendum: *immolaretur.*

[2]) *Humanas vel inhumanas, vel* ponitur pro *vel potius.* Halm legit *Gallis*, et mox *Romanis.*

[3]) Respicit illud sacrificium, de quo Livius (Decad. 3. l. 2): „Ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quae gallus et galla, graecus et graeca in foro Boario sub terra vivi demissi sunt, in locum saxo conseptum, ubi ante hostiis humanis maxime romano sacro imbutum.“ Plinius autem refert ea sacra usque ad suam perseverasse aetatem (l. 28. hist. nat. c. 1). Ceterum eruditi dissident de lectione, cum alii legant sensu clariore *sacrifici* i. e. qui faciebant sacra: alii retinentes *sacrificii* subaudiunt *causa:* Vel ut Halm *sacrificii loco. Obruere* i. e. obruerunt. Infra *Mali*

homicidio colitur; et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. Ipsum credo docuisse sanguinis foedere conjurare Catilinam; et Bellonam sacrum suum haustu humani cruoris imbuere[1]), et comitialem morbum hominis sanguine, id est morbo graviore, sanare. Non dissimiles et qui de arena feras devorant illitas et infectas cruore, vel membris hominis et viscere saginatas. Nobis homicidium nec videre fas, nec audire: tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus[2]).

---

et noxii hominis i. e. bestiarii, damnati ad bestias. Cf. Tertullianum Apolog. c. 9.

[1]) De his ita Lactantius (Divin. instit. l. 1. c. 21): „Sacra alia virtutis, quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris et utraque manu gladios exserentes currunt, efferuntur, insaniunt.“ Carpit deinde Octavius illos, qui comitiali morbo laborantes gladiatorum in arena vulneratorum sanguinem, quo sanari posse opinabantur, avide bibebant. His non dissimiles ait, qui de arena feras manducabant etc.

[2]) Hoc ita enunciat Tertullianus (Apolog. c. 9): „Erubescat error vester christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis et mortici-

31. Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos daemonum coitio mentita est, ut gloriam pudicitiae deformis infamiae aspersione macularet: ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandae opinionis averteret. Sic de isto et tuus Fronto [1]), non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit. Haec enim potius de vestris gentibus nata sunt. Jus est apud Persas misceri cum matribus. Aegptiis et Athenis cum sororibus legitima connubia. Memoriae et tragoediae vestrae incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis. Sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos. Merito igitur incestum penes vos saepe deprehenditur, semper admittitur. Etiam nescientes, miseri, potestis in illicita proruere. Dum venerem promisce spargitis, dum passim liberos seritis, dum etiam domi natos alienae misericordiae frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere, in filios inerrare. Sic incesti fabulam nectitis, etiam cum conscientiam non habetis. At nos pu-

---

nis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto."

[1]) De Frontone cf. supra annot. ad n. 9.

dorem non facie, sed mente praestamus. Unius matrimonii vinculo libenter inhaeremus: cupiditate procreandi aut unam[1]) scimus, aut nullam. Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus. Casto sermone, corpore castiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. Nec de ultima statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras recusamus: nec factiosi sumus, si omnes unum bonum sapimus eadem congregati quiete, qua singuli: nec in angulis garruli, si audire nos publice aut erubescitis, aut timetis. Et quod in dies nostri numerus augetur, non est crimen erroris, sed testimonium laudis; nam in pulchro genere vivendi et perstat et perseverat suus, et accrescit alienus[2]). Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiae ac modestiae signo facile dignoscimus. Sic (nos) mutuo,

---

[1]) *Unam* scil. uxorem.

[2]) *Perstat et perseverat suus*, qui scil. illud profitetur, fidelis, et accrescit alienus, accedunt, amplectuntur illud ethnici.

quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohaeredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, et in mutua odia saevitis: nec fratres vos, nisi sane ad parricidium, recognoscitis.

32. Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit? et cum homo latius maneam[1]), intra unam aediculam vim tantae majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore? Hostias et victimas Deo (al. Domino) offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus? ingratum est: cum sit litabilis hostia[2]), bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia. Igitur qui innocentiam colit, Deo (al. Domino) supplicat; qui justitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet,

[1]) *Quum homo latius maneam*, domo non includar, sed quaquaversus possim pergere.

[2]) *Litabilis hostia*, hostia, qua Deus placari potest.

propitiatDeum: qui hominem periculo subripit, opimam victimam caedit. Haec nostra sacrificia, haec Dei sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille, qui justior. At enim quem colimus Deum, nec ostendimus, nec videmus. Imo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus et in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper praesentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Nec mireris si Deum non vides. Vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, et sub oculis tamen non venit ventus et flatus. In solem adeo, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus; radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur: et si diutius inspicias, omnis visus exstinguitur. Quid? ipsum solis artificem, illum luminis fontem possis sustinere, cum te ab ejus fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre cum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis, nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat, et in coelo constitutus non potest aut omnes obire aut singulos nosse. Erras, o homo, et falleris: unde enim Deus longe est, cum omnia coelestia terrenaque, et quae extra istam

orbis provinciam sunt (Deo cognita), plena sint? ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende: coelo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter praesens ubique interest, et miscetur omnibus; nusquam ejus claritudo violatur. Quanto magis Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus.

33. Nec nobis de nostra frequentia blandiamur: multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus: Deo una domus est mundus hic totus. Reges tantum[1]) regni sui per officia ministrorum universa novere: Deo indiciis opus non est: non enim solum in oculis ejus, sed et in sinu vivimus. Sed Judaeis[2]) nihil profuit, quod unum et ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione colue-

---

[1]) *Tantum*, non inepte suspicantur Meursius et Halm legendum esse: *statum*.

[2]) *Sed Judaeis* etc. Est haec exceptio, ad quam modo respondebit. Cf Tertullianum Apol. c. 21. *Superstitione*, scrupulosa attentione.

runt. Ignorantia laberis, si priorum aut oblitus aut inscius, posteriorum recordaris. Nam et ipsi, Deum nostrum (idem enim omnium Deus est)[1]), quamdiu enim eum caste, innoxie, religioseque coluerunt, quamdiu praeceptis salubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges; modici multos, inermi armatos, dum fugiunt insequentes[2]), Dei jussu et elementis annitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel si Romanis magis gaudes, ut transeamus veteres, Flavii Josephi, vel Antonii Juliani de Judaeis require; jam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, nec quidquam accidisse, quod non sit iis, si in contumacia perseverarent, ante praedictum. Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos; nec ut impie loqueris, cum Deo suo (esse) captos, sed a Deo, ut disciplinae transfugas, deditos.

34. Ceterum de incendio mundi, aut improvisum ignem cadere, aut difficile non credere[3]), vulgaris erroris est. Quis enim

---

[1]) Halm hic ex conjectura supplet *experti sunt*.

[2]) *Insequentes* i. e. Aegyptios.

[3]) *Aut difficile non credere*. Haec verba interpretes non nihil torquent; malunt plures supplere

sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt occidere? quae facta sunt interire? coelum quoque cum omnibus quae coelo continentur, ita ut coepisse, desinere? Fontium dulcis aqua, maria nutrire[1]) in vim ignis abiturum Stoicis constans opinio est; quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat: et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina eadem ipsa sententia est. Loquitur Plato[2]), partes orbis nunc inundare dicit, nunc alternis vicibus arde-

partem *dum*, cui difficile, *aut* non credere etc. Nulla causa ratio aliquid suppleudi, cum sensus sit: Vulgari errori est credere improvisum ignem non cadere, cui id difficile esse, nimirum Deo. Cf Nourry c. 7. a. 4.

[1]) *Maria nutrire.* In hoc loco sive explicando sive emendando multum laborant eruditi, et ab invicem discrepant. Putant aliqui infinitam hic accip. pro substantivo, *hinc nutrire maria* idem esse a marium nutrimentum.

[2]) *Loquitur.* Malunt nonnulli legere: Loquitur Plato *et* partes etc. Multo autem verosimilius est, advertit Heumann, irrepsisse, adeoque exterminari oportere *loquitur*. Nunc vero et *dicit* in *docet* mutet, eoque contendit, quod paulo post sequitur *diceret*. Non est enim credibile eodem verbo bis eadem in periodo usum esse tam elegantiae studiosum scriptorem. Denique pro *inundare* scribo *inundari*, duce Wopkenio in Obs. misc. crit. t. 10. f. 1. p. 49. Hahn cum Valkenio aliqua excidisse putat.

scere; et cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen, ipsi artifici, Deo soli, et solubilem et esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo, quo[1]) exstructa est, destruatur. Animadvertis philosophos eadem disputare quae dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis praedicationibus prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sint. Sic etiam conditionem renascendi sapientium clariores, Pythagoras primus et praecipuus Plato corrupta et dimidiata fide tradiderunt: nam corporibus dissolutis solas animas volunt et perpetuo manere, et in alia nova corpora saepius commeare. Addunt istis et illa ad retorquendam[2]) veritatem, in pecudes, aves, belluas hominum animas redire. Non philosophi sane studio, sed mimico vitio[3])

---

[1]) *Ab eo quo*, ab eo, a quo.

[2]) *Retorquendam* i. e. obscurandam, avertendam. Resurrectionem Pythagoras tradidit, sed animae solum, non etiam corporis, adeoque dimidiata fide; sed ut veritas magis adhuc retorqueretur, addit animas hominum redire in *pecudes*, cum dicere debebat *in sua corpora*. Lindner.

[3]) *Mimico vitio*. Alii alia excogitarunt, ut hunc locum, quem corruptum sunt opinati, emendarent explicarentque. Suspicatur Rigaltius Octavium hic

digna ista sententia est. Sed ad propositum satis est, etiam in hoc sapientes vestros in aliquem modum nobiscum consonare. Ceterum quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse; sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari[1])? Porro difficilius est, id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare. Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem compri-

---

verbis ad mimos collineasse, qui in scena sese aliquando in belluas transformabant earumque induebant figuras. Alii praeferunt lectionem *mimi convicio* et putant a Minucio notari Laberium poetam et mimum, qui hos philosophorum de metempsychosi deliriationes non solum scriptis (Crinit. l. 11. de honest. discipl. c. 3) sed etiam actis mimicis haud dubie deriserat. Cf. Nourry c. 7. a. 1.

[1]) Loquitur hic Octavius de corpore, ac idem dicit, quod forte paulo clarius Tertullianus Apol. c. 48: „Recogita quid fueris antequam esses; utique nihil; meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus, cum esse desieris, cur non posses esse rursus de nihilo ejusdem ipsius auctoris voluntate, qui te voluit esse ex nihilo etc.?“

mitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus. Vide adeo quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur: sol demergit et nascitur; astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina non nisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentita[1]). Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare, quam credere: malunt enim exstingui penitus, quam ad supplicia reparari. Quorum error augetur et in seculo libertate remissa, et Dei patientia maxima, cujus quanto judicium tardum, tanto magis justum est.

---

[1]) *Ariditate mentita.* Aridítas arborum in hieme non est vera, sed tantum mentita, quia viror non penitus abest, sed tantum occultatur. Plene ita: Ut arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentita: ita corpus in sepulcro occultat vitam, mortalitate mentita. Lindner.

35. Et tamen admonentur homines doctissimorum libris et carminibus poëtarum illius ignei fluminis, et de Stygia palude saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata et daemonum indiciis et de oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torrentes ripas et atram voraginem jurat religiose. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus poenam praescius perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt; sicut ignes Aetnae et Vesuvii, et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur[1]). Eos autem merito torqueri, qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus, nemo deliberat: cum parentem omnium et omnium dominum non minoris sceleris sit ignorare, quam laedere. Et quamquam imperitia Dei sufficiat ad poe-

[1]) Cf. hic quae diximus de igne inferni in annot. opusc. t. 13. p. 33 ss. Paulo superius legunt nonnulli *Aetnaei montis et Vesuvi montis.*

nam, ita ut notitia prosit ad veniam, tamen si vobiscum christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur[1]). Vos enim adulteria prohibetis, et facitis; nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur. Vos scelera admissa punitis; apud nos et cogitare peccare est: vos conscios timetis; nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. Denique de vestro numero carcer exaestuat: christianus ibi nullus, nisi aut reus suae religionis[2]), aut profugus.

---

[1]) *Imperitia* i. e. ignorantia; haec sufficit ad poenam quidquid sit de vita, de moribus, quia inexcusabilis est: *notitia*, cognitio salutaris prodest, conducit ad salutem. Advertit deinde, christianos, etsi non semper satisfaciant disciplinae, legi christianae, meliores tamen semper deprehendi ethnicis. Haec autem historice de christianis sui temporis Octavius pronunciat, neque semper vera sunt, si individua tantum et non christianorum atque ethnicorum populi invicem comparentur.

[2]) *Reus suae religionis* i. e. qui simul etiam contra religionis christianae praecepta peccavit. Qui reus est secundum leges civiles (justas), reus etiam erit secundum legem religionis christianae, quae vel eadem prohibet, vel legibus civilibus obedire praecipit. *Profugus* i. e. apostata. Longe eloquentius idem proponit Tertullianus Apolog. c. 44: „Vestros jam contestamur actus, qui quotidie judicandis

36. Nec de fato quisquam aut solatium captet, aut excuset eventum; sit sortis fortunae[1]), mens tamen libera est; et ideo actus hominis, non dignitas judicatur. Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? qui, cum possit praescire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur. Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et uberius et plenius. Ceterum, quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis

---

custodiis praesidetis . . . De vestris semper aestuat carcer; de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi hoc tantum (i. e. nisi propter fidem christianam), aut si et aliud (propter aliud crimen) jam non christianus (quia jam suae legis praevaricator)." Cf. praeterea cc., 45, 46 cum hisce Minucii cc., egregie enim puros christianorum mores describunt.

[1]) Mavult Lindner legere *sint*, sint scil. fortunae opus sortis. Al. *sors fortunae*. *Dignitas*, Deus non judicat conditionem nostram, quae a nobis non pendet, sed actus. Sic infra iterum dicit, non *geniturae*, non id quod nati sumus, naturalem conditionem plecti, sed ingenii, animi mores.

potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno? qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tamen quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt, et in diem (pascua) pascuntur: et haec nobis tamen nata sunt: quae omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur, ut qui viam terit, eo felicior quo levior incedit: ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus: utique indulgere posset aliquantum, cujus est totum. Sed nos contemnere malumus opes quam contingere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos bonos esse, quam prodigos: et quod corporis humana vitia sentimus et patimur, non est poena, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas saepius disciplina virtutis est: vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum praedicatis, aerumnis suis inclyti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit; cum sit et omnium rector, et amator suorum:

sed in adversis unumquemque explorat et examinat; ingenium singulorum periculis pensitat; usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

37. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas, et supplicia, et tormenta componitur? cum strepitum mortis et horrorem carnificis irripiens inculcat[1])? cum libertatem suam adversus reges et principes erigit? soli Deo, cujus est, cedit? cum triumphator et victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit, insultat? vicit enim qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet? nemo enim praemium percipit ante experimentum: et imperator tamen, quod non habet, non dat: non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi cala-

[1]) *Irripiens inculcat*, ita Mss. Plures malunt legere: *irridens insultat* vel *inculcat*. Ceterum juverit in h. c. contulisse quae diximus in diss. *Martyrum sanguis vox veritatis* opusc. t. 4.

mitosos viros fertis ad coelum, Mucium Scaevolam, qui cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Mucio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? Pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere. Nisi forte vos decipit, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimae ad supplicium saginantur, ut hostiae ad poenam coronantur. In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditae mentes licentia potestatis libere nundinentur[1]). Absque enim

---

[1]) Hic locus nonnullis eruditis desperatus videtur, hinc satius esse ajunt ad h. l. sanandum melioris notae codicem expectare, quam vanis levibusque indulgere conjecturis. Cf. Nourry c. 2. a. 5. Sequentia elliptica sunt, sensus vero hic est: Absque

notitia Dei, quae potest esse solida felicitas? cum mors sit, somnio similis, antequam tenetur elabitur. Rex es? sed tam times, quam timeris; et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? sed fortunae male creditur, et magno viatico breve vitae iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus et purpuris gloriaris? vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur. Nos igitur qui moribus et pudore censemur, merito malis voluptatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis currulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? in gladiatoriis homicidii disciplinam? in scenicis etiam non minor furor et turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat: nunc enervis histrio amorem, dum fingit, infligit. Idem deos vestros induendo

---

notitia Dei, quae potest esse solida felicitas, cum praesentis vitae felicitati mors cito finem imponat, et hinc somnio similem illam reddat, nam antequam teuetur, elabitur.

stupra, suspiria, odia dedecorat. Idem simulatis doloribus lacrimas vestras vanis gestibus et nutibus provocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis[1]).

38. Quod vero sacrificiorum reliquias et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed verae libertatis assertio. Nam etsi omne quod nascitur, ut inviolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur; abstinemus tamen, ne quis (nos)[2]) existimet aut daemoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostrae religionis pudere. Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus et rosam veris et lilium et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? his enim et sparsis utimur mollibus ac solutis, et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite: auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus, ignoscite:

---

[1]) *In vero . . . in mendacio* h. e. in spectaculis gladiatoriis postulatis, ut alter alterum transfigat: at cum in scena fit homicidium simulatum, lacrimas effunditis. Heumann.

[2]) *Nos* supplendum censet Halm. Infra lectionem Laubmanni praefert *auram bonam* (loco *boni*) floris.

ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi (aut sentienti facem) aut non sentienti coronam: cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. At enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus, nec annectimus arescentem coronam, sed a Deo aeternis floribus vividam sustinemus [1]), quieti, modesti, Dei nostri liberalitate securi, spem futurae felicitatis fide praesentis ejus majestatis animamus. Sic et beati resurgimus, et futuri contemplatione jam vivimus. Proinde Socrates scurra[2]) atticus

---

[1]) *Sustinemus*, exspectamus: Lepide Tertullianus gentilium accusationi, cui hic Octavius respondet, in l. de Corona c. 5. sic occurrit: „In capite quis sapor floris? Tam contra naturam est, florem capite sectari, quam cibum aure, sonum nare". Et Apolog. c. 42: „Nos coronam naribus novimus. Viderint qui per capillum odorantur."

[2]) *Scurra atticus* dicebatur Socrates a Zenone testibus Cicerone de natura deor. l. 1. et Lactantio, qui (instit. div. l. 3. c. 20) scribit de Socrate: „Per canem et anserem dejerabat. O hominem scurram, ut ait Zeno Epicureus, ineptam, perditum, desperatum, si cavillari voluit religionem; dementem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro deo habuerit." Testimonium autem fallacissimi daemonis est Apollinis oraculum, de quo supra n. 13. Cf. Tertullianum Apol. c. 46.

viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi daemonis gloriosus: Arcesilas quoque, et Carneades, et Pyrrho, et omnis Academicorum multitudo deliberet: Simonides etiam in perpetuum comperendinet. Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos, et semper adversus sua vitia facundos. Nos (qui) non habitu sapientiam, sed mente praeferimus: non eloquimur magna, sed vivimus[1]), gloriamur nos consecutos quod illi summa intentione quaesiverunt, nec invenire potuerunt. Quid ingrati sumus? quid nobis invidemus, si veritas divinitatis nostri temporis aetate maturuit? Fruamur bono nostro, et recti sententiam temperemus: cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur[2]).

39. Cum Octavius perorasset, aliquamdiu nos ad silentium stupefacti, intentos vultus tenebamus: et, quod ad me est, magnitudine admirationis evanui, quod ea quae facilius est sentire quam dicere, et argumentis, et

---

[1]) Hisce similia cf. apud Cyprianum de bono patientiae n. 2, 3. opusc. t. 4. p. 66 s.

[2]) *Reservetur* idem est, quod *servetur*; et solet noster composita cum syllaba *re* simplicium notione adhibere. Lindner.

exemplis, et lectionum auctoritatibus adornasset, et quod malevolos iisdem illis, quibus armantur, philosophorum telis retudisset; ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem, sed et favorabilem [1]).

40. Dum istaec igitur apud me tacitus evolvo, Caecilius erupit: Ego Octavio meo plurimum quantum, sed et mihi gratulor; nec exspecto sententiam. Vicimus, et ita ut [2]) improbe usurpo victoriam: nam ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat ad summam quaestionis, et de providentia fateor, et (de) Deo cedo [3]), et de sectae jam nostrae sinceritate consentio. Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt [4]) non obstrepentia veritati, sed perfectae institutioni necessaria, de quibus crastino (quod jam sol occasui declivis est), ut de

---

[1]) *Favorabilem*, gratam.

[2]) *Et ita ut.* Heumann mavult legere: *Et ita nec;* Gronovius: *Et ita haud;* Davis: *Et haud;* Halm: Vicimus et ita: *vel* improbe; advertit autem facile *ut* ex *vel* mendose oriri potuisse.

[3]) *Cedo* i. e. veram vestram de Deo sententiam et religionem agnosco. Halm praeeunte Ursino supplet *de.*

[4]) *Consubsident* i. e. in imo pectoris adhuc remanent, resident.

toto congruentius[1]) promptius requiremus. At ego, inquam, prolixius, omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam mihi Octavius vicerit, cum maxima judicandi mihi invidia detracta sit. Nec tamen possum meritum ejus verborum laudibus repensare: testimonium et hominis et unius infirmum est. Habet Dei munus eximium, a quo et inspiratus oravit[2]), et obtinuit adjutus. Post haec laeti hilaresque discessimus: Caecilius, quod crediderit; Octavius, quod vicerit; ego et quod hic crediderit, et hic vicerit.

---

[1]) Halm approbat conjecturam Vahlenii, legendum esse non *congruentius*, sed *congruentes*, ut haec sit sententia: De his quae ad perfectam institutionem necessaria sunt, crastino facilius et expeditius requiremus, ut qui *de toto* h. e. de veritate religionis christianae inter nos consentiamus.

[2]) *Oravit*, disputavit, disseruit, peroravit, *et obtinuit adjutus* victoriam. Aliqui legunt: *Octavius gaudere quod vicerit.*

S. PATRIS NOSTRI

JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

ADVERSUS JUDAEOS ET GENTILES

DEMONSTRATIO,

quod Christus sit Deus

ex iis, quae multis in locis de illo dicta sunt apud prophetas.

---

1. Quoniam plerique hominum sive ex innata socordia, sive ex nimia secularium rerum, quibus se dediderunt, cura atque sollicitudine, alii vero ignorantia magna detenti prolixos sermones non libenter audiunt, operae pretium visum est multiloquii molestiam resecare: ut sermonis brevitate cum segnitiem eorum tollam, tum iis, qui in lectionis fastidium prolapsi sunt, suadeam, ut praesenti orationi magna cum alacritate

aures praebeant. Ideo nullis verborum nominumque lenociniis utens, sed dicta sic temperans, ut famulo, ancillae, viduae, institori, nautae et agricolae captu facilia sint, brevitati insuper, quantum fas erit, ubique studebo: paucisque doctrinam tradere satagam: atque utroque modo oscitantium auditorum studia excitabo, quo facile et absque labore haec percipere possint, iisque in memoria repositis lucrum inde reportent. Primum autem cum gentilibus manus conseram. Nam si dixerit gentilis, unde manifestum est Christum esse Deum? (hoc enim ante omnia praestituere oportet, utpote cum cetera inde consequantur), non a coelo demonstrationem petemus, neque ab aliis id genus. Nam si illi dixero: Coelum creavit, terram item vel mare, id ipse non feret; si dixero: Mortuos suscitavit, coecos curavit, daemonas fugavit, neque hoc admittet; si dixero: Regnum promisit et occulta bona, si de resurrectione verba fecero, hoc non modo non recipiet, sed etiam ridebit. Unde igitur maxime si idiota sit, illum instituemus? Unde, inquam, nisi ex iis, quae apud me et illum in confesso sunt, nec in dubium vocari possunt. Nam si supponam ipsum condidisse coelum et alia, quae dixi, id ille

non facile credet. Quaenam igitur sunt ea, quae ipsum fecisse gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod christianorum genus ipse fundaverit, neque enim illud negaturus est, quod universas per orbem ecclesias condiderit. Hinc ejus potentiae argumentum ducemus, et ostendemus ipsum vere Deum esse: dicemusque non esse puri hominis tantum orbem, terram, mare, tam brevi tempore pervadere, et ad res tantas evocare; cum maxime tam absurdis moribus assueti homines essent, et tot malis irretiti. Et tamen potuit ille humanum genus ab his omnibus liberare, non romanos tantum, sed persas et omne barbarorum genus. Haec porro fecit, non armis usus, non sumptibus, nullis exercitibus, non commissis praeliis; sed principio per undecim viros, ignobiles, viles, ignaros, idiotas, pauperes, nudos, inermes, calceis carentes, una tunica tectos. Quid dico, fecit? Persuadere potuit tot hominum gentibus, ut non de praesentibus tantum, sed etiam de futuris philosopharentur, utque patrias leges evellerent, veteresque mores tanto tempore radicatos penitus tollerent, aliosque substituerent, qui ab assuetis et facilibus ad difficiliora ejus praecepta traducerent. Haec vero facere potuit,

dum oppugnaretur ab omnibus: crucemque sustinuit, infame supplicium ac mortem ignominiosissimam. Neque enim negabunt ipsum a judaeis crucifixum innumeraque ab illis passum esse, et tamen quotidie praedicationem accrescere: quodque incredibile videatur, ea non hic tantum, sed et apud persas floret, etiamsi ab illis oppugnetur. Etenim apud illos quoque martyrum examina multa: et tamen qui ipsis lupis ferociores erant, accepta praedicatione ovibus mansuetiores evasere: jamque de immortalitate, de resurrectione et de ineffabilibus bonis philosophantur[1]).

---

[1]) Praeclarissime simul et invicte probat hic et infra n. 9, 10, 12, 13 ss. s. Doctor, rapidissimam religionis christianae per orbem propagationem non obstantibus gravissimis omnis generis difficultatibus mediis naturaliter prorsus insufficientibus effectam evidenter esse opus Dei, hinc argumentum manifestum veritatis hujus religionis, speciatim vero divinitatis ipsius auctoris Christi Jesu. Quamvis autem hoc argumentum claro proponat Chrysostomus, juverit tamen illud ad quaedam revocare puncta, quo ejus probandi vis melius perspiciatur. Consideretur 1) quam *late* quamque *celeriter* religio christiana fuerit propagata. Post duo secula, imo post non multos annos ultra imperii romani terminos, ad fines usque orbis tum noti diffusa fuit, ubique locorum plurimos numerans asseclas, et quo non penetrarunt romanorum

2. Non in urbibus tantum, sed etiam in deserto haec praeclare gesta videas, in vicis,

---

arra, hominum ibi maxime barbarorum animos sibi subjecit (cf. S. Leonem s. 82. in nostra ed. 4. t. 14. n. 1. cum annot. subj.). Hujus tam rapidae propagationis testis est Paulus Rom. 1, 8; 15, 18 s; testes sunt *patres*; hinc triumphantis in modum scribere potuit Tertullianus ad romani imperii praesides (Apol. c. 37): „Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis templa reliquimus.“ Cf. adv. Judaeos c. 7; Lactantium de mort. persec. c. 1; instit. 5, 22; Justinum dial. cum Tryph. n. 117: testes sunt vel ipsi gentiles, ut Plinius junior ad Trajanum scribens (l. 10. ep. 97): „Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur: non civitates tantum sed vicos etiam atque agros christianae superstitionis contagio pervagata est; probe jam desolata templa deorum et solemnia diu intermissa.“ Tacitus annal. l. 15. c. 44; Seneca, secundum quem „usque eo consuetudo convaluit sceleratissimae gentis (christianae, quam cum judaea confundebat), ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt“ (ap. Augustinum de civ. Dei l. 6. c. 11. n. 36). Advertatur porro non tot praesto tunc fuisse media diffusionis, uti modo propter artem typographicam, nec tam facile expeditumque commercium populorum inter se, quale nunc est post tot inventa. Hinc etsi propagatio religionis christianae *absolute* rapida forte

in agris, in insulis, in portubus et navalibus: non idiotae, non principes tantum, sed illi

---

dici nequeat, *relative* tamen spectatis adjunctis *rapidissima* est judicanda. Considerentur 2) *impedimenta*, quae religionis christianae diffusioni undique obstabant eaque tam *interna* quam *externa*. Et *interna* quidem, cujusmodi erant incomprehensibilitas doctrinae, praeceptorum sanctitas sublimitasque virtutum, quarum ne nomina quidem, nedum exercitium noverant gentiles, uti humilitatis, abnegationis, dilectionis inimicorum, puritatis interdicentis reum affectum vel aspectum. Ad impedimenta interna revocari adhuc possunt et defectus omnis lucri praesentis, imo lucrum contemptus, persecutionis, damnorum, mortis; humilitas auctoris, qui in crucis patibulo ab omnibus exsecrato vitam finierit. Gravissima quoque erant impedimenta *externa*. Talia erant incredibilis morum corruptio, cum vel scelera colerentur cultusque Dei impuros complecteretur ritus (cf. Minucium Felicem supra n. 21 ss. 31.): superstitionis error inveteratus atque cum lacte materno imbibitus (ib. n. 5 s. 22), philosophorum irrisio et tumor, praejudicia penitus infixa atque calumniae nefandae adversus religionem christianam studio divulgatae (ib. n. 9 s. et Storchenau Philos. der Religion t. 5. s. 4 ss.), persecutionum per tria secula immanis furor (cf. diss. opusc. t. 4. n. 4 ss. p. 149 ss.). Considerentur 3) *media*, quibus religio christiana fuit propagata; quam insufficientia, quam imparia, imo quam nulla tanto effectui producendo. Pauci siquidem Christi discipuli tantum opus aggressi sunt iique destituti omnibus illis dotibus et mediis, quae vim aliquam ad auditorum animos inflectendos ha-

ipsi, qui diademate redimiuntur, crucifixo magna cum fide subditi sunt. Quod autem

---

bere possent, uti sunt scientia, eloquentia, divitiae, gloria, nobilitas etc.; ita potius comparati erant, ut auditores facilius a se avertere, quam Christo lucrari potuerint, rudes, illiterati, judaei omnibus invisi (cf. Chrysostomum h. 75 al. 76. in Matth. n. 3 s.). Vere *quae stulta sunt elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (1. Cor. 1, 27 s.). „Adverte coeleste consilium, inquit ad rem Ambrosius l. 5. in Lucam, n. 44., non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos dirigeret, elegit (Christus), ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiae nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non disputationis gratia praevaleret.“ Cf. Chrysostomum in Ps. 16. n. 5; Augustinum tr. 7. in Joan. n. 17; de civitate Dei l. 22. c. 5; Theodor. in 1. Cor. 1, 17. Hettinger Apologie des Christenth. Bd. 1. Vort. 17. Consideretur 4) *effectus*, qui non fuit momentaneus, sed perennis, non superficie tenus humanum pervadens genus, sed totum hominem, totam societatem humanam renovans, in melius commutans atque perficiens, adeo ut hujus doctrinae cultoribus in deliciis essent ea, a quibus ante abhorruerant: illa vero, quae ante adamaverant, super omnia detestarentur. Hoc vero 5) prodigium alias quoque repetitum fuit, ut quando s. Franciscus Xaverius cum sociis suis Indis orientalibus atque Japoniae lumen intulit Evangelii. Quare 6) cum qui-

haec non temere contigerint, sed diu ante praedicta sint, jam demonstrare conabor.

---

libet effectus causam exigat adaequatam, media vero naturalia tanto explicando effectui non sint paria, concludendum est, eum suo lumine suaque gratia praesto fuisse, cui facillimum est ex intellectus dissipare tenebras duritiamque frangere voluntatis. Novo lumine 7) hoc argumentum perfundetur, si praeterea consideretur a) difficultas, quam vel in unius hominis corrupti emendatione quotidie possumus experiri, quanta ergo erat difficultas conversionis tot gentium? Si consideretur b) sterilitas tum institutionis philosophicae licet eloquentissimae (quod egregie plane expendit Theodoretus s. 9. de grace. affect. curat.), tum missionum protestantium, qui tamen tot mediis humanis, ut pecuniis etc. abundant, quo de argumento cf. Marschall, Die christlichen Missionen, ihre Sendboten, ihre Methode, ihre Erfolge. Si consideretur c) indoles propagationis religionis christianae. Potest enim illa spectari certaminis (duelli) instar cum pagana superstitione romanoque imperio initi. Diu tenuit haec pugna, caedes christianorum ingentes factae sunt, torrentes sanguinis christiani effusi, sed cecidit demum atque victa fuit pagana superstitio, suffulta licet armis omnis generis humanis, vicit religio christiana atque de illa triumphum egit, quam victoriam atque triumphum eloquentissime in hoc l. describit Chrysostomus, atque iterum h. l. in Matth. n. 5 s.; h. 33. n. 4.; describunt quoque Hieronymus ep. 107. n. 2 (opusc. t. 11. p. 263); Origenes c. Celsum l. 2. n. 79; Athanasius or. c. gentes n. 1; de incarn. n. 30, 31 46, 47 ss.; in vita s. Antonii n. 78 s.; Augustinus

Imo vero ut ne sermo noster suspectus sit, operae pretium erit libros judaeorum, qui

ep. 137. al. 3. n. 16; de divinat. daem. c. 10; serm. 44. n. 2; Pseudo-Hieronymus in Ps. 81, 8; Prudentius Apotheosis v. 400 ss. Nisi ergo principium causalitatis negare volimus, inferendum est, Deum ipsum pro religione christiana pugnasse. Neque 8) ad vim hujus argumenti infringendam provocetur ad celerem sive mohamedanismi sive protestantismi propagationem, cum ingens sit discrimen inter utriusque diffusionem et propagationem religionis christianae. Differunt enim a) *latitudine*: b) *duratione*, cum utraque illa secta fines, quos semel initio attigit, multum deinde non excesserit, religio vero christiana quovis fere seculo alias atque alias occupaverit regiones: c) *mediis*, illarum enim propagationem multa media mere humana atque naturalia promovebant, ut vis illata, spes bonorum temporalium (ecclesiasticorum), licentioris vitae per promulgatam, quam ajebant, libertatem evangelicam, hominum pronitas ad nova, ad excutiendam auctoritatis jugum etc. d) *effectu*, neque enim utraque illa secta quos pervasit e vitiorum coeno ad summam provexit sanctitatem, sicut religio christiana gentes domuit barbaras omnemque edocuit virtutem. Vere enim scribere potuit Erasmus ep. ad Vulturium Neocomum: „Profer mihi quem istud evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego multos tibi ostendam, qui facti sunt scipsis deteriores etc.“ Verum plura cf. ap. Storchenau l. c. t. 7. diss. 6. et Döllinger, Die Reformation.

ipsum crucifixerunt, in medium proferre, ipsorumque testimonia ex Scripturis, quae penes eos asservantur, excerpta sub incredulorum oculis percurrere. Quod igitur Deus homo futurus sit Deusque mansurus, primus omnium dicit Jeremias: *Hic Deus noster, non reputabitur alius ad illum. Invenit omnem viam scientiae, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus est.* Vides, quomodo omnia paucis verbis declaravit, nempe quod Deus existens homo factus sit, et cum hominibus conversatus sit; et quod veterem legem ipse condiderit? *Nam invenit*, inquit, *omnem viam scientiae, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo* (Baruch 3, 36 ss). Hic quippe docet, etiam ante incarnationem ipsum omnia dispensasse, omniaque fecisse, legem statuisse, providisse, curasse, benefecisse. Alius iterum propheta quomodo dicat ipsum non modo hominem futurum, sed etiam ex Virgine nasciturum, audi: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (Isaï. 7, 14), quod interpretantur, *Nobiscum Deus.* Deinde ostendens, non apparenter, sed vere hominem esse, addidit, (*Butyrum et mel comedet.*

Mos est enim, ut his cibis peculiariter pascantur pueri mox ut nati fuerint. Et declarans, quod non purus homo, iterum addit dicens)[1]): *Propter quod prius quam sciat puer vocare patrem bonum vel malum, non obtemperat malitiae, ut eligat bonum* (Ibid. 16). Quod autem non tantum homo et ex Virgine, sed etiam ex domo David futurus esset, audi quomodo diu ante praedixerit Isaias, qui figuris licet usus et metaphora, praedicit tamen: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, spiritus timoris Dei replebit illum* (Is. 11, 1). Hic enim Jesse pater fuit Davidis, quia ex illa tribu erat: nec solum ex illa tribu, sed etiam ex domo Jesse prodibit: id vero praenunciavit his verbis: *Egredietur virga de radice Jesse.* Non de virga simpliciter loquens, sed de illo et de regno ejus. Quod autem non de virga haec dixerat, in sequentibus declarat: postquam enim dixe-

---

[1]) Quae uncinis hic clauduntur, non leguntur in textu graeco, neque apud Savilium; sed videntur ad seriem orationis pertinere, atque a vetere interprete lecta sunt.

rat *virgam*, subjunxit, *Et requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus.* Nemo enim, etsi admodum insipiens sit, dixerit spiritus gratiam super lignum advenisse: sed palam est, super templum illud immaculatum venisse. Ideo non dixit, *veniet*, sed, *requiescet:* quoniam postquam venit, ibi mansit, nec discessit. Quod Joannes evangelista declarat his verbis: *Ego vidi Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum* (Joan. 1, 33). Neque silentio praetermiserunt sententiam judaicam, quam illi exhibuerunt ipso nato: nam Matthaeus sic loquitur: *Audiens autem Herodes turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo* (Matth. 2, 3). Isaiam quoque audi, qui id diu ante praenunciavit: *Cupient, si fiant igne combusti: quia puer natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocatur nomen ejus magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, potens, princeps pacis, pater futuri seculi* (Isai. 9, 6). Hoc de puro homine dici non posse palam est vel iis, qui admodum contentiosi sunt. Nullus quippe homo a seculo Deus fortis vocatus est, ut neque tantae pacis princeps: nam *Pacis ejus*, inquit, *non est terminus* (Ibid. 7).

Id declarat rerum eventus, quia totam pervasit terram. universum mare orbemque habitabilem, montes. saltus, colles a die illa, a qua Christus incipiens in coelum ascensurus dixit: *Pacem meam do vobis: non sicut mundus dat do vobis* (Joan. 14, 27). Cur ita locutus est Christus? Quia nimirum pax hominum facile solvitur, variasque habet vicissitudines: pax autem ejus firma, immota, stabilis. diuturna, immortalis, finem non habens, licet innumera bella undique moveantur, ac mille quotidie parentur insidiae. Verum illius sermo, qui omnia perficit, hoc cum ceteris effecit.

3. Non solum autem illum hominem futurum, sed etiam modum adventus ejus praedixerunt. Quia enim venturus erat non tonitrua, non fulmina superne mittens, non quatiens terram, non commovens coelum, non portenta exhibens; sed sine strepitu nulloque conscio in domo fabri nasciturus erat, in domo ignobili ac vili, audi quomodo neque hoc tacuerit David: *Descendet inquit, sicut pluvia in vellus* (Psal. 71, 6), tranquillitatem et quietem significans. Neque hoc tantum, sed etiam quam mansuete et suaviter cum hominibus conversaturus esset. alius propheta declarans vide quid

dicat. Nam quia cum contumeliis, sputis, convitiis afficeretur, inhonoraretur, flagellaretur postremoque crucifigeretur, nullum ultus est talia facientem, sed omnia patienter tulit, contumelias, insidias, insaniam et importunum plebis illius furorem atque incursum, haec omnia declaravit his verbis: *Calamum contritum non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec educat in victoriam judicium, et in ipso gentes sperabunt* (Isai. 42, 5). Alius item locum, in quo nasciturus erat, indicat dicens: *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel; et exitus ejus ab initio a diebus seculi* (Mich. 5, 2). Hic divinitatem et humanitatem declarat: nam cum ait: *Et exitus ejus ab initio a diebus seculi*, aeternam ante secula existentiam demonstrat; cum vero ait: *Exiet dux qui regat populum meum Israel*, generationem secundum carnem. Ac vide rursum et hic aliam prophetiam refulgentem. Non enim dicit solum ipsum esse nasciturum, sed etiam locum nobilem futurum esse, qui tunc erat ignobilis et exiguus: *Nequaquam enim minima es*, inquit, *in principibus Juda.* Sane totus orbis ad

Bethlehem videndam confluit, ubi natus repositus fuit, neque ulla alia, quam haec, causa est. Alius iterum tempus, quo venturus erat, significavit his verbis: *Non deficiet princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse exspectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum, et ad helicem pullum asinae suae. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum. Jucundiores oculi ejus vino, et candidiores dentes ejus lacte* (Gen. 49, 10). Vide hanc etiam prophetiam congruere. Nam tunc advenit, cum jam deficerent principes judaici, et sceptro romanorum subderentur: et sic implebatur prophetia, quae dicit: *Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus, donet veniat, cui repositum est*, de Christo scilicet loquens. Nam statim atque natus est, et descriptio illa prima facta est, imperantibus romanis judaeorum genti, cum eos sub imperii sui jugum egissent. Itemque aliud significatur his verbis, *Et ipse exspectatio gentium.* Cum advenisset enim, omnes gentes attraxit. Herodes Jesum natum perquirens pueros eo in loco interempturus erat: et neque hoc siluerunt prophetae, sed multis antea temporibus praedixe-

runt his verbis: *Vox in Rama audita est, luctus, fletus et clamor multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt* (Jer. 31, 15). Ex Aegypto rediturus erat, et hoc praenunciarunt dicentes: „*Ex Aegypto vocavi filium meum* (Os. 11, 1). Conspicua in loca venturus erat, ut statim ibi signa faceret et doceret: et hoc quoque praenunciatum est; audi enim Isaiam dicentem: *Regio Zabulon, terra Nephthalim, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in tenebris, et in umbra mortis lux orta est* (Isaï. 9, 1)," quibus significatur adventus ejus in illa loca, doctrina quoque, cognitio, quam a miraculis acceperunt. Deinde alia enarrans miracula, ostendensque quomodo claudos curaverit, caecos sanaverit, mutos loqui fecerit, ait: *Tunc aperientur oculi coecorum, et aures surdorum audient;* aliisque interpositis, *Tunc saliet,* inquit, *sicut cervus claudus, et clara erit vox balbutientium* (Is. 35, 5 s.): quod scilicet nunquam factum est, nisi in adventu illius. Signorum item aliquorum speciatim meminerunt: ingressus est enim aliquando in templum, et pueri adhuc lactentes, inexpeditamque adhuc habentes linguam ceci-

nerunt in illum hymnos, sic dicentes: *Hosanna in excelsis: Benedictus qui venit in nomine Domini* (Matth. 21, 9): hoc multo antea praedixerat propheta, *Ex ore*, inquiens, *infantium et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et ultorem* (Psal. 8, 3). Videsne quomodo contra se ipsam decertans natura opificem praedicaret, et innocens aetas, necdum articulatam vocem emittere valens, apostolicam praedicationem susciperet?

4. Quia vero cum judaeis aliquando disserens ob ingratum eorum animum multa subobscure quasi in aenigmate et parabola locuturus erat, idipsum quoque diu antea praedictum est: *Loquar propositiones a fundatione mundi, eructabo abscondita ab initio* (Psal. 77, 2). Quin et sapientiam ejus in concionando longis antea temporibus praenuncians propheta dicebat: *Diffusa est gratia in labiis tuis* (Psal. 44, 3): et alius iterum propheta: *Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et glorificabitur, et valde sublimis erit* (Isaï. 52, 13). Adventus autem ipsius praeclara gesta cum signis edita, quasi compendio enarrans, iterum is ipse dixit: *Spiritus Domini super me, propterea unxit me, evangelizare pauperi-*

bus misit me: praedicare captivis remissionem, et coecis visus restitutionem (Isaï. 61, 1). Quoniam judaei tot ab eo beneficiis affecti frustra temereque ipsum aversaturi erant, licet eum nec in magno, nec in parvo possent arguere; illud quoque praedictum fuit: audi Davidem hoc ipsum vaticinantem his verbis: *Cum iis, qui oderant pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (Psal. 119, 7). Asino vectus ingressurus erat civitatem, et illud quoque jamdiu praenunciatum fuerat a Zacharia sic loquente: *Gaude multum, filia Sion; praedica, filia Jerusalem: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, vectus supra subjugalem et pullum juvenem* (Zach. 9, 9). Ejecit vendentes columbas et nummularios, quod ille faciebat zelo domus Domini ductus, et ut simul ostenderet se non esse contrarium Deo, sed cum Patre consentientem: quare domum vindicabat, quod in ea hujusmodi negotiatio fieret: neque hoc silentio praetermissum est, sed idipsum propheta David vaticinatus est, et qua mente hanc sumpturus vindictam esset praenunciavit dicens: *Zelus domus tuae comedit me* (Psal. 68, 10).“ Quid hoc manifestius fuerit? Futurum erat ut proderetur, et mensae

illius consors proditionem faceret. Vide quomodo hoc etiam praedixerit hic ipse propheta dicens: *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (Psal. 40, 10); animadverte item evangelistae consonantiam: *Qui intinxit*, inquit, *mecum manum suam in catino, hic me tradet* (Matth. 26, 23). Non modo traditor ille ipsum proditurus erat, sed etiam sanguinem pretiosum venditurus accepta pro hac re pecunia: neque illud tacuit propheta, sed impudentia illorum pacta et sermones, quos inter se conferebant, retulit. (Nam ille dicebat: *Quid vultis mihi dare, et ego vobis illum tradam;* isti vero responderunt, *Triginta argenteos* (ib. 15). In aenigmate dicit) [1]): *Deus laudem meam ne taceueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est* (Psal. 108, 1). Is ipse proditor demum ob tanta facinora se ipsum damnans cum argenteos projecit, tum ad laqueum currens ita vitam clausit: viduamque uxorem et filios pupillos reliquit, domumque desertam. Vide quomodo et hanc

---

[1]) Quae clauduntur hic unicinis nusquam habentur in textu graeco, nec in editione saviliana. Sed illa vetus interpres legerat.

calamitatem tragice propheta praenunciet his verbis: *Fiant filii ejus orphani et uxor ejus vidua: nutantes transferantur filii ejus, et ejiciantur de habitationibus suis* (Ibid. 9). Post illum Mathias factus est apostolus, et hoc ipsum ille praefatus est his verbis: *Episcopatum ejus accipiat alter.* Tradito et comprehenso Jesu libente ac volente coactum est concilium iniquitate plenum judaeorum simul ac gentilium: vide quomodo id etiam praedixerit propheta dicens: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (Ps. 2, 1). Neque tantum ista praenunciarunt, sed etiam silentium, quod multis habitis sermonibus oblatisque criminationibus ille servabat, praedixit Isaias his verbis: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum.* Postea corruptum judicium declarans, *In humilitate*, inquit, *judicium ejus sublatum est*; id est, nullus de ipso juste judicavit. Deinde causam caedis patefacit. Nam quia non peccatorum suorum causa passus est, inculpatus enim et innoxius erat, sed pro mundi malis traditus est; vide quomodo haec ambo subindicaverit, cum dixit: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus*

in ore ejus, per hoc enim cujus rei causa occisus sit, declaravit. Sequitur et alia causa: *Pro iniquitatibus*, inquit, *populi mei ad mortem venit.*“ Neque vero tantum causam caedis, sed etiam quid lucri ex cruce et ex caede illa accesserit ostendere volens vide, quomodo id praenunciet his verbis: *Omnes sicut oves erravimus: homo in via sua aberravit: disciplina pacis nostrae super eum: livore ejus nos omnes sanati sumus.* Deinde quia poenas daturi erant judaei flagitiorum hujusmodi, illud quoque declarat idem propheta cum dicit: *Dabo improbos pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus* (Is. 53, 5 ss.). Rursus David cum dixisset, *Abjiciamus a nobis jugum ipsorum*, adjecit *Qui habitat in coelis irridebit eos: tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos* (Psal. 2, 3 s.): quibus significat dispersionem eorum per totum terrarum orbem; quod etiam ipse Christus in evangeliis declarans dicebat: *Eos autem, qui me noluerunt regnare super se, abducite huc et occidite eos* (Luc. 19, 27). Praeterea de caede locuti modum ejus non siluerunt, sed illum indicavit David ita loquens: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa*

mea; nec iniquitatem post mortem consecutam reticuit, nam dicit: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (Psal. 21, 17 ss.). Deinde quod sepulturae tradendus esset, declaravit his verbis: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis* (Psal. 87, 7). Cum autem resurrecturus esset, vide quomodo hoc praenunciarit: *Non derelinques*, ait, *animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (Psal. 15, 10): alio item modo id Isaias declarat: *Et Dominus*, inquit, *ipsum vult purificare a plaga, ostendere ei lumen, justificare justum, qui multis bene serviat* (Isai. 53, 10). Quod ejus caedes peccatorum hominum solutio fuerit, idipsum etiam indicavit his verbis: *Et ipse peccata multorum tulit.* Quod homines a daemonibus liberarit: *Et fortium*, inquit, *dividet spolia.* Quod illud ipsum per mortem effecerit, id non tacuit, sed ait: *Pro eo quod in mortem tradita est anima ejus.* Quod toti orbi praeficiendus esset, sic declaravit: *Et ipse hereditate possidebit multos* (Ibid. 12). Deinde quoniam cum in infernum descendisset, omnia turbavit, strepitu atque tumultu universa replevit, arcemque destruxit; hanc rem non

silentio praetereunt, sed modo David dicit: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, et introibit Rex gloriae* (Psal. 23, 7); modo Isaias aliter, *Portas aereas confrigam, et vectes ferreos conteram, et aperiam tibi thesauros tenebrosos, occultos, invisibiles ostendam tibi* (Isai. 45, 2): sic appellans infernum. Nam etiamsi infernus esset, at sanctas animas et vasa pretiosa servabat, nempe Abraham, Isaac et Jacob: propterea thesauros appellabat, tenebrosus autem, quia nondum Sol justitiae ibi fulserat, neque de resurrectione praedicaverat. Quod post resurrectionem non cum angelis constiturus esset, non cum archangelis, non cum alia administratoria virtute, sed in throno regio sessurus, audi quomodo David declaret: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (Psal. 109, 1).

5. Missurus postea erat apostolos, et hoc praedixit Isaias dicens: „*Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (Isai. 52, 7). En qualem laudet corporis partem, pedes, qui illos ubique portabant. Ad haec commemorat David, quomodo praevaluerint apostoli, dicens: *Do-*

minus dabit verbum evangelizantibus virtute multa (Psal. 67, 12). Non enim armis, non pecuniis, non robore corporis, non exercituum copiis, neque alio simili modo superarunt, sed verbo simplici et multam habente virtutem, miraculorum nempe ostentum. Crucifixum enim praedicantes et miracula patrantes, sic orbem subegerunt. Ideo ait: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, sic miracula vocans. Nam ineffabilis virtus erat piscatorem, publicanum, tentoriorum opificem solo praecepto mortuos suscitare, daemones expellere, mortem abigere, philosophorum linguam refrenare, rhetorum ora consuere, reges ac principes vincere, barbaris, graecis, omnique nationi imperare. Et apposite sic locutus est: nam haec omnia verbo illo perfecerunt, et virtute multa mortuos in vivos mutarunt, peccatores in justos, coecos in videntes, morbos naturae et animae nequitiam expellentes. Deinde quod haec virtus illis a Spiritu sancto accederet, hinc declaratur: *Spiritu*, inquit, *sancto repleti erant* (Act. 2, 4); et viri simul atque mulieres prophetabant. Linguae ignis forma visae sederunt supra unumquemque eorum: et hoc Joël diu ante praenunciavit dicens: *Effun-*

dam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae visiones videbunt, et adolescentes vestri somnia somniabunt: et quidem super servos meos et super ancillas effundam, prius quam veniat dies Domini magnus et illustris (Joël. 2, 28): magnum et illustrem vocans diem adventus Spiritus sancti nec non eum, qui in consummatione seculorum futurus est. Idem vero ipse propheta salutem per fidem praenuncians, neque enim illam tacuit, ait: *Et erit omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Ibid. 32).

6. Ubique terrarum praecones mittit, ac nemo est quin audiat praedicationem; et hoc ipsum praenunciatum est: audi hoc prophetice dicentem Davidem: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (Psal. 18, 3). Ad haec, quod cum auctoritate praedicarint, et ipsis regibus potentiores fuerint, ipse alibi docet inquiens: *Constitues eos principes super omnem terram* (Id. 44, 18). Quod regibus ac principibus majores fuerint Petrus et Paulus, declaravit eventus. Nam regum leges, etiam ipsis viventibus, abrogantur: leges vero piscatorum illorum, etiam mortuo-

rum, firmae sunt, et immotae manent; idque licet daemonibus diuturna consuetudine, vitio, voluptate innumerisque aliis illas refringere conantibus. Ut ostendat autem eos ipsos principes constitutos amabiles omnibus desiderabilesque fore, subdit: *Propterea populi confitebuntur tibi in seculum* (Ibid. 20); id est gratias tibi agent plurimas, quod tales principes dederis. Quod praedicatio ubique propaganda sit, id quoque praesignificatum est: audi Davidem id tibi declarantem his verbis: *Postula a me, et tabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (Ps. 2, 8). Idipsum item alius propheta alicubi sic enunciat: *Implebitur omnis terra scientia Domini, et sicut aqua multa, quae operit maria* (Isai. 11, 9).“ Et vide facilitatem obedientiae: *Non docebit, ait, unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quia omnes cognoscent me a minimo illorum usque ad maximum illorum* (Jer. 31, 34). Firmitas Ecclesiae his declaratur: *Erit in novissimis diebus conspicuus mons Domini, supra verticem montium domus Domini, et elevabitur super colles, et venient ad eam populi multi et gentes mul-*

tae (Isai. 2, 2). Quod vero non firma tantum, solida et immobilis futura sit, sed etiam multam orbi pacem sit conciliatura, quodque tunc multorum principatus, tum monarchiae auferendae sint: unum autem in omnes regnum futurum, et abundantiori pace fruiturum, non sicut prius: nam priscis temporibus artifices omnes et rhetores armis instructi erant, et in acie stabant: post adventum vero Christi, haec omnia soluta sunt, et bella in constitutam partem seorsim concesserunt, hoc docens propheta quidam dicebat: *Et confringent gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: et non sumet gens contra gentem gladium, et non discent amplius bellum* (Isai. 2, 4, 5). Nam prius in illis omnes exercebantur: nunc autem artis ejus obliti sunt; imo plures eam ne vel minimum sunt experti: quod si quidam sint, illi admodum pauci sunt; at olim in omnibus gentibus sexcentae seditiones excitabantur. Deinde et unde constituenda sit Ecclesia praedicit. Quia enim non mansueti tantum, mites et urbani homines; sed etiam feri et inhumani, moribusque similes lupis leonibus et tauris, cum ipsis conventuri erant, et omnes unam Ecclesiam constituturi, audi quomodo gre-

gis illius varietatem propheta declaraverit: *Tunc*, inquit, *pascetur simul lupus cum agno* (Ibid. 11, 6), quo frugalem regum vitam indicat. Quod autem haec non de feris dicta sint, dicat judaeus quandonam hoc factum sit? nunquam enim lupus cum agno compascuus fuit: quod si etiam futurum esset, ut cum illo pasceretur, quid hoc humano generi profuturum esset? Sed de feris hominibus id dictum est, de scythis, thracibus, mauris, indis, sauromatis, persis. Quod autem omnes illae gentes sub uno jugo futurae essent, alius propheta declaravit his verbis: *Et servient ei sub jugo uno, et adorabunt illum unusquisque e loco suo* (Sophon. 3, 9). Non ultra, inquit, Jerosolymis solum, sed ubique terrarum. Neque enim postea Jerosolymam jubebuntur homines adire, sed quisque domi manens hunc cultum praestabit.

7. Quod judaei ejiciendi essent, neque hoc praetermissum silentio fuit: vide quomodo et hoc praedixerit propheta: *Ecce in vobis concludentur januae, et non accendetis altare meum gratis.* Quinam porro hunc cultum exhibituri essent, sic praenunciatum est: *Ab oriente solis usque ad occidentem, nomen meum glorificatum est in gentibus,*

et in omni loco incensum mihi offertur et hostia pura (Malach. 1, 10). Vides quomodo cultus nobilitatem declaravit? quomodo excellentiam et mutationem ejus? Quod non in loco, sed in moribus, neque in nidore et fumo, sed in alio cultu nostra futura sint ministeria. Et quomodo illos omnes, dicet quispiam, attraxerunt apostoli? Qui nonnisi unam linguam habebat, nempe judaicam, quomodo scytham, indum et sauromatam docere potuit? accepto nempe per Spiritum sanctum linguarum multarum dono. Et hoc quidem de gentibus: de israële item donum linguarum. Quod autem neque hoc attraxerit judaeos, audi quo pacto declaret propheta dicens: *In variis linguis et aliis labiis loquar populo huic, et neque sic audient me, dicit Dominus* (Isai. 28, 11). Quid hoc manifestius videri possit? Erant judaei increduli futuri, et gentes ad fidem advolaturae: et hoc quoque praesignificatum est: audi Isaiam hoc ita declarantem: *Inventus sum ab iis, qui me non quaerunt: manifestatus sum iis, qui me non inquirunt. Dixi: Ecce ego sum, ad gentem, quae non invocavit nomen meum.* De Israële autem: *Tota die expandi manus meas ad gentem non credentem et contradicentem* (Id. 65,

1 s.); ac rursum: *Annunciavimus ei ut puero: sicut radix in terra sitienti* ac rursum, *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est* (Id. 53, 1 s.)? Non dixit: *doctrinae nostrae,* ubi ostendit eos non ex se locutos esse, sed ea, quae a Deo audierant, annunciasse. Quod nostra judaicis praeferenda ac multo praestantiora sint, declaravit Moyses his verbis: *In aemulationem deducam vos in non gente: in gente insipiente irritabo vos* (Deut. 32, 21): priorem populi vilitatem indicans, cum dicit: *In non gente:* non enim gens putabatur esse, ob vilitatem nimiam, ob insipientiam, ob amentiam. Sed mutatio tanta a fide facta est, ut hi honorabiliores appareant iis, qui tunc honorabantur. Hoc aegre laturos judaeos, et inde meliores futuros ex his etiam declaratur: non enim simpliciter dixit: *Anteponam;* sed simul hoc ipsum declarans, et qualemcumque hinc futuram emendationem indicans, *In aemulationem,* inquit, *deducam vos in non gente;* ac si diceret, Tanta dabo ipsis bona, ut vos aemulatione corripiamini, et ut mordeamini. Hoc itaque meliores ipsos reddidit. Nam qui divisum mare, scissas petras, aërem muta-

tum, et tot tantaque prodigia viderant; imo vero qui filios suos immolaverant, qui ipsi Beelphegor initiati fuerant, multisque praestigiis operam dederant; hi post quam nos accessimus, longeque praestantiores suis res exhibuimus, aemulatione ducti et meliores effecti sunt, atque se continuerunt; ita ut ea, quae nec prophetarum monitis, nec prodigiorum ostentis territi fecerant, jam aemulatione nostri recte faciant. Nemo itaque illorum jam filios immolat, nemo ad idola accedit, vel vitulum adorat. Virginitatis decor in veteri testamento ne nominabatur quidem; cum autem in novo splendidus futurus esset, vide quomodo id praedicat David: *Afferentur regi virgines post eam, adducentur in templum regis* (Ps. 44, 16). Sed neque sacerdotum nomen tacuit, episcoporum dico: *Constituam enim principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia* (Isai. 60, 17).

8. Venturus erat rationem exacturus ab hominum genere, et speciatim a judaeis; attende quomodo et hoc ipsum vaticinentur tum David, tum Malachias, qui sic ait: *Et ingressus est sicut conflatorium, sicut herba fullonum, et purgabit argentum et aurum* (Malach, 3, 3), Pauli verbis affinia loqui-

tur, qui sic habet: *Dies enim declarabit, quia in igne revelatur* (1. Cor. 3, 13). David vero, *Deus manifeste veniet* (Psal. 49, 3), secundum ejus adventum praedicans: nam primus adventus cum multa attemperatione fuit: secundus non item; sed horroris terrorisque plenus erit angelis praecurrentibus, ejusque praesentia ceu fulgur omnia occupante. Nam *Sicut fulgur*, inquit, *exit ab Oriente, et apparet usque ad Occidentem, ita erit adventus Filii hominis* (Matth. 24, 27): quo declaratur ejus splendor, qui semetipsum annunciat. Hoc David indicans dicebat: *Deus manifeste veniet.* Deinde futurum ejus judicium significans sic prosequitur: *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.* Supplicia memoravit, splendorem jam indicat, *Advocabit coelum desursum, et terram discernere populum suum*: hic terram vocat genus humanum: sub haec cum toto hominum genere judaeos annumerans: nam ad illos quoque respicit: haec subjungit: *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, et annunciabunt coeli justitiam ejus, quoniam Deus judex est* (Ps. 49, 3). Adventu suo sacrificiorum cultum sublatu-

rus et reprobaturus erat, ut nostrum hoc sacrificium induceret; audi quomodo et haec praedicta sint: *Sacrificium et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi* (Psal. 39, 7): quod etiam alibi dicebat: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* (Psal. 17, 48);" id est, non mare divisum, non petras scissas videns, sed audiens apostolos meos. Et hic rursum, *Corpus autem aptasti mihi.* Post haec statim adjecit: *Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me* (Psal. 39, 10). Duo autem hic indicantur et venturum esse, et tunc venturum esse, cum sacrificia rejecta fuerint, quod tunc contigit, cum principatus judaicus in romanum transiit. Invenimus etiam Baruch de adventu ejus ita loquentem: *In terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch. 3, 38)." Ait quoque Moyses: *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus ex fratribus vestris sicut me, ipsum audietis in omnibus. Et erit, omnis anima, quae non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populo suo* (Deut. 18, 18). Vides hoc in nullo alio impletum, quam in hoc tantum. Nam multi prophetae surrexerunt, et omnibus inobsequentes fuerunt, nihilque propterea passi sunt. Huic

autem quia non obedierunt judaei, palabundi, errantes, fugitivi, exsules ubique vagantur. Vide namque quomodo exclusi sint a civitate, atque a paternis legibus et consuetudinibus, cum ignominia, turpitudine et ultionis poena. Quae vero sub Vespasiano et Tito passi sunt, ne enarrari quidem possunt, ita omnem calamitatem excedit illa tragoedia. Et impletum est propheticum illud: *Omnis qui non audierit Prophetam illum, exterminabitur.* Ideo apud illos omnia in solitudinem versa, quia Prophetam illum non audierunt. Quod resuscitaturus sit omnes, declaravit Isaïas his verbis: *Resurgent mortui, et excitabuntur qui in sepulcris sunt. Ros enim qui a te, medicina ipsis est* (Is. 26, 19). Neque hoc tantum, sed quod post crucem, post caedem clariores res ejus futurae sint, quodque post resurrectionem latius propaganda sit praedicatio (praedictum est). Quia enim ligatus est, proditus a discipulo, sputis et contumeliis affectus, verberatus, crucifixus, et quantum in illis fuit ne sepulturae quidem traditus, ac vestimenta ejus diviserunt milites, quia in suspicionem tyrannidis vocatus, et quasi blasphemus obiit; (quasi tyrannus scilicet) *Omnis, enim qui se regem facit, contradicit Caesari* (Joan.

19, 12); rursum (quasi blasphemus) *Ecce vos audistis blasphemiam ejus* (Matth. 26, 65); quia, inquam, haec omnia eventura erant, auditorem excitans, et ad fiduciam praeparans, ne timueris, inquit, horum causa: illius enim, qui crucifixus, flagellatus, a latronibus contumelia affectus, in blasphemiae suspicionem vocatus occisus est; illius, inquam, res tali conditione post mortem et post resurrectionem erunt, ut nemo negaverit eum honore magno repletum esse. Hoc utique sic contigit, quod diu ante praenuncians propheta dicebat: *Erit radix Jesse, et qui exsurget ut imperet gentibus: in ipso gentes sperabunt, et erit requies ejus honor* (Isai. 11, 10); ac si diceret: Hoc genus mortis diademate honorabilius est. Imperatores enim, posito diademate, crucem suscipiunt, symbolum mortis illius: in purpura crux, in diademate crux, in precibus crux, in armis crux, in sacra mensa crux, et ubique terrarum crux plus quam sol refulget. *Et erit requies ejus honor.*

9. At non hujusmodi sunt res humanae, imo in his contra prorsus accidit. Nam viventibus iis, qui gloria fruuntur, res eorum florent; iis vero mortuis pereunt et omnia. Quod non in divite, neque in principe tan-

tum, sed in ipso imperatore animadvertas: etenim et leges eorum abrogantur, et imagines obscurantur, memoria eorum exstinguitur, nomen in oblivionem venit, clientes despiciuntur: illorum scilicet, qui prius arma moverant, qui nutu solo populos, urbes resque publicas mutaverant, quibus licebat et occidere, et ad supplicium ductos a morte liberare. Attamen haec omnia pereunt, licet antea floruerint. At secus in Christo, nam ante crucem in luctu res erant, Judas prodidit Petrus negavit, reliqui fugerunt, solus ille inter inimicos comprehensus est, multi ex iis, qui crediderant, retrorsum abierunt. Post quam autem occisus vitam clausit, ut discas eum, qui crucifixus est, non purum hominem fuisse, res ejus clariores, illustriores ac sublimiores evaserunt. Ante crucem princeps apostolorum ne ostiariae quidem minas tulit, sed post tantam initiationem aiebat se nescire quis esset: post crucem vero orbem terrarum peragravit: hinc innumeri populi martyrum jugulati sunt praeoptantes occidi, quam ea loqui, quae locutus fuerat princeps apostolorum unius ostiariae terrore superatus. Hinc omnes regiones et omnes civitates, desertum, habitata et inhabitata terra, crucifixum praedicamus. Reges, duces, princi-

pes, consules, liberi, servi, idiotae, sapientes, insipientes, barbari, variaque hominum genera, demum universa, quam sol respicit, terra tam ampla, hoc nomine et ejus adoratione frequentatur, ut discas quid sit, *Erit requies ejus honor.* Locus autem, qui corpus illud occisum recepit, licet admodum parvus et angustus, innumeris regum aulis venerabilior ipsisque regibus pretiosior: *Et erit requies ejus honor.* Quodque mirabile dictu est: id non ipsi tantum, sed etiam discipulis ejus contigit: nam qui vi ducebantur et circumagebantur, contempti, vincti, innumeris malis affecti, post mortem ipsis regibus honorabiliores sunt. Id quomodo fiat perpende: in regia urbe Roma, missis aliis omnibus, ad sepulchra piscatoris et tentoriorum opificis accurrunt imperatores, consules, exercituum duces: Constantinopoli vero non prope apostolos, sed foris ad ipsa limina, optaverunt ii, qui diademate redimiuntur, corpora sua sepeliri: atque ita imperatores piscatorum ostiarii facti sunt: sic in obitu hoc non dedecori, sed honori sibi esse putant non solum ipsi, sed etiam eorum nepotes. *Et erit*, inquit, *requies ejus honor.* Tunc honoris magnitudinem videbis, cum mortis ejus symbolum didiceris: mortis, in-

quam, maledictae, mortis omnium ignominiosissimae. Hoc quippe solum mortis genus maledicto obnoxium erat. Exempli causa, facinorosorum olim alii comburebantur, alii lapidabantur, alii alio supplicii genere vitam claudebant: crucifixus autem in ligno pendens, non id solum mali patiebatur, quod eam subiret damnationem, sed quod maledictus esset: *Maledictus enim*, inquit, *omnis qui pendet in ligno* (Deut. 21, 23). Attamen maledictum illud exsecrabile extremi supplicii symbolum nunc desiderabile amabileque factum est. Nihil enim imperatoriam coronam sic exornat, ut crux universo mundo pretiosior: et quod omnes olim exhorrescebant, ejus nunc figura ita certatim exquiritur ab omnibus, ut ubique reperiatur, apud principes et subditos, apud mulieres et viros, apud virgines et nuptas, apud servos et liberos: nam illud omnes signum frequenter imprimunt in membrorum nobiliori parte; et in fronte ceu in columna figuratum quotidie circumferunt. Hoc in sacra mensa, hoc in sacerdotum ordinationibus, hoc rursum cum corpore Christi in mystica coena refulget. Hoc ubique celebratum videre est, in domibus, in foro, in desertis, in viis, in montibus, in saltibus, in collibus, in mari, in

navibus, in insulis, in lectis, in vestimentis, in armis, in thalamis, in conviviis, in vasis argenteis et aureis, in margaritis, in parietum picturis, in corporibus brutorum male affectis, in corporibus a daemone obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in choreis tripudiantium, in sodalitiis sese macerantium; adeo certatim donum hoc mirabile ejusque ineffabilem gratiam omnes perquirunt. Nemo pudore afficitur vel erubescit, dum cogitat hoc maledictae mortis symbolum esse; sed illo omnes magis exornamur, quam coronis, diadematibus et mille margaritarum monilibus: ita non modo non aversamur crucem, sed etiam amabilis illa desiderabilisque omnibus est: ubique illa fulget, in parietibus domorum, in tectis, in libris, in urbibus, in vicis, in incultis, in cultis locis. Hic libenter gentilem interrogarem, undenam fit, ut damnationis maledictaeque mortis symbolum omnibus ita amabile optabileque sit[1])?

10. Quod si nihil hoc esse putas, si adhuc impudens manes veritatemque aversaris,

---

[1]) Cf. quae de *usu signi crucis* ex aliorum patrum effatis annotavimus ad ep. Hieron. 4. n. 37 (opusc. t. 11. p. 99 ss.).

atque ad lumen caecutis: age tibi alio argumento commonstramus, quantum sit illud. Quale illud argumentum? Sunt judicibus multa suppliciorum genera, lignum, lora, ungues, plumbata, quibus corpora lacerant, membra discerpunt atque suspendunt: quisnam vellet haec in domum suam inferre? Quis vellet carnificis haec agentis manum contingere, vel ut id videret, propius accedere? Annon plerique haec exsecrantur, aliique hinc male ominantur, ac neque tactum, neque aspectum ferunt? Annon etiam procul fugiunt, et oculos avertunt? Talis olim crux erat, imo illis multo gravior. Nam ut ante dixi, non tantum mortis, sed etiam maledictae mortis symbolum erat. Unde ergo, dic mihi, jam ita desiderabilis optabilisque facta est, omnibusque antefertur? Illud vero ipsum lignum, in quo sacrum corpus passum et crucifixum est, cur certatim omnes adeunt? Cur particulam ejus multi sumentes auro inclusam, tum viri tum mulieres a collo suspendunt ad ornatum: etsi damnationis et ultionis symbolum hoc lignum fuerit? At qui omnia facit, et immutat ea, qui orbem ex tanta nequitia transtulit, et terram coelum effecit, etiam rem hanc vituperio plenam, et mortem omnium igno-

miniosissimam supra coelos adduxit. Haec igitur omnia praevidens propheta dicebat: *Et erit requies ejus honor.* Hoc quippe mortis symbolum, neque enim finem faciam ita loquendi, multis benedictionis argumentum effectum est, et omnimodae firmitatis murus, diaboli letifera plaga, daemonum frenum, camus adversariarum virtutum. Hoc mortem sustulit, hoc inferni portas aereas confregit, vectes ferreos contrivit, diaboli arcem destruxit, peccati nervos excidit, totum orbem damnationi subjectum eripuit, immissam divinitus naturae nostrae plagam curavit. Quid dico? quod non potuere mare divisum, petrae scissae, aër mutatus, manna quadraginta annis tot hominum milibus erogatum, lex et alia signa cum in deserto, tum in Palaestina facta, haec potuit crux, non in una gente sed in toto orbe; crux, inquam, maledictum symbolum, omnibus horrendum, omnibus exsecrandum, post Crucifixi mortem potuit omnia nullo negotio perficere. Neque haec solummodo, sed ea, quae postea secuta sunt, ejus virtutem declarant. Orbem enim terrarum, qui quoad virtutem sterilis erat, nec melius se habebat, quam desertum, cum non posset quidpiam boni parere, statim paradisum et matrem fecundissimam effecit. Et hoc diu ante prae-

nuntiavit propheta his verbis: *Laetare sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis, quia multi filii desertae magis, quam ejus quae habet virum* (Isai. 54, 1). Quod vero cum talem eam fecisset, legem ipsi dederit multo praestantiorem priori, id minime tacuerunt prophetae: ac vide quid praesignificaverint: *Disponam eis testamentum novum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die, qua manum eorum apprehendi, ut educerem eos de terra Aegypti: quia ipsi non manserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam eis, dans leges meas in mente eorum, et in corde eorum inscribam eas* (Jer. 31, 32). Deinde subitam mutationem et doctrinam facilem declarans ait: *Et non docebunt unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quia omnes scient me a parvo ipsorum usque ad magnum ipsorum* (Ibid. 34). Quod in adventu suo peccatorum veniam daturus esset, hoc item sic praenunciavit propheta: *Hoc erit ipsis a me testamentum, cum auferam iniquitates ipsorum, et peccatorum eorum non recordabor amplius*

(Jer. 31, 34). Quid hac re manifestius esse possit? vocationem quippe gentium, novae legis supra veterem excellentiam, facilitatem accessus, credentium gratiam, et donum in baptismo factum his vaticiniis significavit.

11. Quod vero qui haec fecit, is ipse postea judex affuturus sit, perpende quomodo et hoc praenuncient prophetae; neque enim id silentio praetermiserunt; alii quidem videntes eum in eo ipso habitu, quo venturus erat; alii verbis eum praesignificantes. Nam Daniel etiam in medio barbarorum babyloniorum videt ipsum in nubibus venientem. Audi illius prophetae verba: *Aspiciebam*, inquit, *et ecce quasi Filius hominis veniens in nubibus, et pervenit usque ad Antiquum dierum, et ante eum oblatus est. Et datus est ei principatus et regnum et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient.* Et judicium ejus ita subindicat: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et libri aperti sunt, et fluvius igneus manabat in conspectu ejus; mille millia ministrabant ei, et decies millies dena millia assistebant ei.* Neque hoc tantum narrat, sed quem justi habituri sunt honorem sic describit: *Et judicium dedit sanctis Altissimi, et regnum obtinuerunt sancti* (Dan. 7, 13 ss.). Mala-

chias vero hoc judicium per ignem futurum esse declarat his verbis: *Ecce ipse ingreditur sicut ignis conflatorii, et sicut herba fullonum* (Malach. 3, 2). Vidistine prophetarum accurationem, quomodo omnia, quae futura sunt, annunciare praeoccuparint? Quomodo ergo adhuc incredulus manere audes talibus acceptis ejus virtutis demonstrationibus, cum verbo videas tamdiu ante praenunciata, resque videas accidere verbis consonas, ita ut nihil omnino excidat? Quodque haec non figmenta nostra sint, testificantur ii, qui primi libros acceperunt, et etiamnum conservant inimici nostri abnepotesque eorum, qui Dominum crucifixerunt; qui libros, inquam, apud se retinent et conservant[1]). Et

[1]) Cf. quae de sapientissimo Dei consilio in dispergendo populo israelitico per orbem annotavimus ad s. Augustinum l. de fide rerum, quae non videntur c. 6 (opusc. t. 6. p. 111 ss.). Cum enim secum ubique sacros deferant codices, in quibus prophetarum de Christo vaticinia continentur, simulque maximo in christianos ferantur odio, omnis fraudis corruptionisque suspicio de horum vaticiniorum genuinitate excluditur, si ad illa christiani provocant suaeque religionis ex illorum manifesto eventu veritatem comprobant. Cum hoc momentum maximi sit ponderis, s. Augustinus illud iterum iterumque inculcat. Praeter testimonia in annot. cit. allata cf. eundem l. 13. c. Faustum c. 10: l. 16 c. 21; de consensu evang. l. 1.

qui fieri possit, dicet quispiam, ut libros habentes non credant? Quia tunc etiam, cum eum mirabilia operantem viderent, non crediderunt, sed hoc non est crimen ejus, cui non creditur, sed eorum magis, qui in meridie coecutiunt. Nam et hunc mundum in medio proposuit, instrumentum omni concinnitate elaboratum, vocem undique emittens, et creatorem praedicans, et tamen quidam homines sunt, qui vel automata esse dicunt, vel horum creationem atque providentiam hominibus ascribunt; alii vero fortunae, fato, genesi, vel stellarum conversionibus. Verum hoc crimen non in opificem cadit, sed in eos, qui inter tot remedia adhuc extremis laborant morbis. Quemadmodum enim bene affectus animus quid facto opus sit videt, nec multis ad hoc eget adjumentis, sic impudens ac stupidus, etiamsi innumeros habeat magistros, affectibus praeoccupatus in coecitate perseverat. Hoc igitur

---

cc. 14, 26; serm. 5. n. 5; 200. n. 3; 201. n. 3; 202. n. 3; 204. n. 3; 374. n. 2; tract. 35. in Joan. n. 7; in Ps. 40. n. 14; in Ps. 136. n. 18; adv. judaeos n. 9; serm. c. jud. paganos et arianos (in app. Migne 42, 1128); de civ. Dei l. 4. c. 34; l. 7. c. 32; l. 18. c. 47 s. Cf. praeterea Theodoretum s. 10. de provid.

semper videas, non in hac re solum, sed in aliis quoque. Quot enim sunt, qui cum nullam audissent legem honeste ac legitime vixerunt? Alii vero a pueritia ad extremam usque senectutem in legibus educati, eas violandi nunquam finem fecerunt. Haec et apud veteres contigerunt: nam judaei innumeris signis et miraculis non meliores effecti sunt; Ninivitae vero una solum audita voce resipuerunt, et a peccatis liberati sunt. Hoc etiam videre est non in nobilibus tantum viris, sed etiam in obscuro loco natis. Quanta doctrina non imbutus erat Judas? et tamen proditor factus est. Quam admonitionem habuit latro? attamen in cruce Christum confessus est, et regnum ejus praedicavit. Ne igitur a corruptorum hominum mente rerum judicium facias; sed ab ipsa rerum veritate congruentem calculum ponas de iis, qui recta consilia sunt amplexi. Non crediderunt judaei, crediderunt gentiles. Quod ipsum non silentio praetermissum est. Sed David quidem dicit: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (Psal. 18, 46). Isaias vero: *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est* (Isai. 53, 1); et rursum: *In-*

ventus sum ab iis qui me non quaerebant, conspicuus factus sum iis, qui me non interrogabant (Id. 65, 1). Atque in ipso ejus adventu chananaea et samaritana mulier crediderunt: sacerdotes autem et principes bellum insidiasque parabant aliosque abigebant, et ex synagoga pellebant eos, qui in ipsum crederent. Ne igitur te ista conturbent; multis hujusmodi exemplis plena vita nostra est, tum nostro tum praeterito tempore. Alioquin vero, si non omnes, multi certe ex judaeis et tunc et nostro tempore crediderunt. Quod si non omnes, nihil sane novum aut mirabile, talis quippe est ingratus animus: talis mens ratione vacua; talis anima malis affectibus occupata.

12. Ceterum quia prophetias de Christo tantis ante temporibus a prophetis enunciatas protulimus, age in medium afferamus eas, quae de illo, cum terram circuiret, et cum hominibus conversaretur, editae sunt; ut hinc etiam ejus potentiam ediscas. Cum advenisset igitur, et salutis hominum negotium ageret, tum eorum, qui tunc in vivis, tum etiam eorum, qui post futuri erant, variis illam modis procurabat. Vide, quaeso quid faciat. Miracula edit, et quaedam praedicit longis postea temporibus eventura. Ac

per ea, quae tunc fiebant, iis, quae diu postea futura erant, auditoribus praesentibus fidem faciens; futuris quoque ex eventu praedictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita: atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens iis, quae ad regnum pertinebant. Nam duplices erant ejus praedictiones, et hae quidem in praesenti vita eventurae erant, illae vero post ipsum consummationem, alnaeque aliarum veritatem luculenter commonstrabant. Exempli causa, nam obscurum dictum planum facere satagam, duodecim ipsum discipuli sequebantur, Ecclesiam vero nemo vel re vel nomine tantum noverat, nam synagoga florebat adhuc. Quid igitur dixit, et orbe fere toto in impietate detento praedixit? *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Examina hoc dictum ut libet, et veritatem ejus refulgentem videbis. Non enim illud solum mirabile, quod eam in universo orbe aedificaverit, sed quod invictam fecerit, et tot agitatam bellis invictam. Illud enim, *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*, pericula sunt, quae in infernum deducunt. Vidistine praedictionis veritatem? Vidistine eventus robur? Vidistine verba rebus

ipsis lucentia, et vim insuperabilem omnia nullo negotio facientem? Etsi enim breve dictum sit illud: *Aedificabo Ecclesiam meam*, ne simpliciter praetereas, sed in mente revolve, et cogita quantum sit totum orbem tam brevi tempore ecclesiis replevisse, tantas convertisse gentes, populis persuasisse, ut paternis solutis legibus radicatam consuetudinem evellerent, voluptatis tyrannidem, nequitiae vim, ceu pulverem ejicerent, aras, templa, idola, mysteria, profanas solemnitates impurumque nidorem, quasi furium quendam delerent; ubique altaria excitarent in regione romanorum, persarum, scytharum, maurorum, indorum: quid dico? vel extra orbem nostrum. Nam et Britannicae insulae, quae extra hoc mare sitae sunt et in ipso oceano, vim verbi senserunt; illic enim ecclesiae et altaria erecta fuere. Verbum illud, quod tunc ille protulit, in omnium animis plantatum est, per omnium ora fertur, et terra, ut ita dicam, universa spinis repleta emundata est, ager purus effectus est, pietatisque semina suscepit. Magna sane res est, magna, inquam, imo summae magnitudinis et divinae virtutis argumentum: nemine turbas movente, pace summa, licet multi adjuvarent et nemo reluctaretur, potuisse tantum or-

bem confestim a prava tanti temporis consuetudine liberari, in aliam vero consuetudinem longe difficiliorem traduci. Neque tantum consuetudo adversabatur, sed etiam voluptas detinebat; duo tyrannici obices, nam quae a multorum annorum curriculo a patribus, avis, abavis, majoribus, philosophis et rhetoribus acceperant, ea respuere, quae res admodum difficilis erat, docebantur, et novam accipere consuetudinem, eamque, quod gravius erat, valde duram et molestam. Abduxit a voluptate, et induxit in jejunium; abduxit ab amore pecuniarum, et induxit in paupertatem; abduxit a lascivia et induxit in temperantiam; abduxit ab ira, et induxit in mansuetudinem; abduxit ab invidia, et induxit in benignitatem; abduxit a via lata et spatiosa, et induxit in angustam, arctam et praeruptam, induxit, inquam, assuetos viae latae. Non enim alios assumpsit homines extra mundum et hanc consuetudinem viventes, sed eos ipsos, qui jam in ea computruerant, et luto molliores erant, hos jussit in angusta, aspera et arcta incedere via, et id persuasit eis. Quot hominibus id persuasit? non uni, vel decem, vel viginti, vel centum hominibus, sed omnibus ferme sub sole habitantibus. Quorum opera id persuasit?

undecim opera hominum, illiteratorum, idiotarum, ineloquentium, ignobilium, pauperum, patria, opum facultatibus, robore corporis, gloriae praecellentis, generis splendore, vi verborum, rhetorices gravitate, scientiae commendatione carentium; sed piscatorum, tabernaculorum opificum, qui diversae linguae erant. Nec eadem illi qua auditores lingua instructi erant, sed peregrina atque ab aliis omnibus diversa lingua utebantur, nimirum hebraica. Per hos hanc Ecclesiam aedificavit, quae a finibus usque ad fines terrae extenditur.

13. Neque hoc solum mirabile est; sed quod idiotae, pauperes, pauci, ignobiles, illiterati ac viles, alterius linguae despicabilesque homines, quibus totius orbis emendatio commissa fuerat, jussumque fuerat ad difficiliora ipsum traducere, non illud in pace fecerint, sed innumeris undique bellis exagitati [1]). Per singulas quippe gentes et ur-

[1]) Argumentum ex mira religionis christianae propagatione petitum confirmat s. doctor novoque robore auget consideratione immotae ejusdem Ecclesiae inter tot procellas firmitatis: et sane haec invicta et diuturna mediis in saevissimis tempestatibus conservatio atque constantia palam ostendit, vere Christum servasse sua promissa qua coelestem navarchum suae

bes, et quid dico, per singulas gentes et urbes? per singulas etiam domos bella contra

---

adesse Ecclesiae. Quod ut evidentius innotescat inspiciantur 1) Ecclesiae *hostes*; in ejus exitum conjurarunt judaei, gentiles, haeretici, muhamedani, schismatici, increduli, societates secretae, imo vel tot filii immorigeri et rebelles: inspiciatur 2) conjurationis *amplitudo*, nulla enim regio, nullum hujus Ecclesiae dogma, ritus, institutum ab impugnatione fuit immune. Recenseantur 3) adversariorum *arma*, quae fuere omnis generis eaque efficacissima: potentia, scientia, pecunia, necnon fraudes, calumniae, mendacia, curruptio et seductio in omni ordine, vis aperta, insidiae atque machinationes secretae. Ratio habeatur 4) *procellarum internarum*, quae vel solae civitatem alioquin inexpugnabilem, regnum etiam munitissimum concutere, evertere, perdere possunt. Jam vero in ipso Ecclesiae sinu et inter ejus membra ortae sunt haereses, diuturna atque perniciosa schismata et dissidia. Quae vero 5) fuere *Ecclesiae arma?* Sola plerumque patientia. Destituebatur enim principum protectione aliisque mediis naturalibus ad impetus repellendos, malum pro malo reddere ei non licebat. Perpendatur 6) hujus impugnationis *diuturnitas*, cum ea sit ab incunabilis ad nostros usque dies Ecclesiae perpetua comes. Quis vero 7) hujus impugnationis *exitus?* Laetissimus plane. Quamvis enim Ecclesia pressa saepe gemuerit interitumque innumerorum filiorum integrarumque provinciarum saepe deploraverit, e pugna tamen putata, vegetior prodiit, atque ruinas mox aliis in regionibus reparans, inimicis interim deficientibus et tabescentibus, refloruit, adeo ut evidenter impletum cerneretur: *Et portae inferi non*

ipsos movebantur. Ingressa namque doctrina filiumque a patre saepe dividens, nurum a

---

praevalebunt adversus eam. „Hoc enim Ecclesiae proprium est, inquit Hilarius de Trinit. l. 7. n. 4, ut tunc vincat, cum laeditur; tunc intelligatur, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseritur.“ Cf. opusc. t. 3, 230 s.; t. 4, 177 ss. Nisi ergo effectum admittere velimus sine causa adaequata, dexteram agnoscamus Omnipotentis suam coelitus protegentis Ecclesiam. Confirmatur 8) hujus argumenti vis duplici consideratione, si scil. primo comparationem ineamus christianam inter religionem et tot scholas vel philosophiae systemata, aliaque instituta humana, Ecclesiam inter et tot imperia florentissima olim atque potentissima, quae pro insita sua mutabilitate nullo fere impugnante hoste senuerunt atque demum collapsa sunt, dum Ecclesia virescit semper et juvenescit. Advertatur deinde Ecclesiam non una provincia vel regione coarctari, sed latissime suos extendere fines gentesque indole, cultu, moribus maxime disjunctas, saepe inter se inimicas, suo complecti sinu, quin haec elementorum varietas et diversitas ejus adversetur conservationi. Neque opponatur 9) diuturna conservatio religionis judaicae, superstitionis muhamedanae aliarumque sectarum; nam seposita religione judaica, cujus conservatio potius inservit probandae religionis christianae veritati et hinc speciali Dei providentiae adscribenda est (cf. supra annot. ad n. 11; et opusc. t. 6, 111 ss.), aliarum sectarum diuturnitas multum distat a constantia religionis christianae: nam a) *latior* illis patet Ecclesia *catholica*: haec praeterea b) *semper* degit *inter bella*, illae *profunda* ut plurimum *pace* perfruuntur; c) Ec-

socru, fratrem a fratre, servum a domino, subditum a principe, virum ab uxore, uxorem a viro, patrem a filiis; non enim simul omnes credebant; quotidianas inimicitias, bella frequentia, mille mortes ipsis inducebat efficiebatque, ut sese mutuo quasi communes hostes aversarentur. Etenim eos pellebant universi, reges, principes, idiotae, liberi, servi, populi, civitates. Neque illos tantum; sed quod gravius erat, neophytos in fide, quos illi instituebant. Commune namque bellum et doctoribus et discipulis excitabatur, quippe cum doctrina illa et regiis sanctionibus et consuetudini, et paternis moribus adversari videretur. Siquidem hortabantur, ut ab idolis absisterent, aras despicerent, quas et patres et majores eorum coluerant, ab impuris dogmatibus resilirent, riderent solemnitates, initiationes respuerent, quae ipsis maxime

clesia catholica plerumque destituitur protectione humana, qua illae fruuntur foventurque; haec d) juvenescit impugnata, illae vel senio vel internis dissidiis deficiunt atque collabuntur. Merito proinde ex invicta Ecclesiae constantia divina illius origo et hinc divina auctoris Christi virtus infertur. Huic argumento merito additur alterum, quod hic obiter tangit Chrysostomus, ex martyrum confessione depromptum, de quo cf. diss. in t. 4. opusc. *Martyrum sanguis vox veritatis.*

tremenda et formidabilia videbantur, pro quibus animam dare maluissent, quam eorum dicta admittere, et in natum ex Maria credere, qui ad praesidis tribunal ductus, sputis dehonestatus, innumeraque passus, exsecranda morte affectus sepultusque resurrexisset. Quodque stupendum erat, cruciatus omnibus noti erant, flagella nempe, colaphi, contumeliae oris sputo dehonestati, plagae, crux, cachinni multi, comoedia omnibus oblata, sepultura quasi gratiae nomine impetrata; sed quae ad resurrectionem spectabant non item; illis enim solis post resurrectionem apparuit. Attamen haec dicendo persuadebant, et sic Ecclesiam aedificabant. Quo pacto et qua ratione? Virtute jubentis; ipse namque viam parabat, ipse omnia difficilia facilia reddebat. Nisi enim divina quaedam virtus haec perpetrasset, ne vel principium quidem aut exordium haec habuissent. Quo enim id modo fieri potuisset? Verum is, qui dixerat: *Fiat coelum*, et opus exhibuit, et, *Fundetur terra*, ejus substantiam produxit; et, *Luceat sol*, et astrum ostendit; quique omnia verbo operatus est, ille etiam has ecclesias plantavit. Et verbum illud, *Aedificabo Ecclesiam meam*, haec omnia operatum est. Talia quippe sunt verba Dei, opera

exhibent, opera mirabilia atque stupenda. Nam quemadmodum dixit: *Germinet terra herbam foeni* (Gen. 1, 11), et omnia mox hortus fuere, omnia pratum, terraque mandatum excipiens infinitis ornabatur plantis; sic et nunc ubi dixit: *Aedificabo Ecclesiam meam*, id nullo negotio factum est, atque tyrannis adversus eam bellum excitantibus, militibus arma moventibus, populis instar ignis furentibus, adversante consuetudine, etiamque rhetoribus, sophistis, divitibus, idiotis, principibus, igne tamen vehementius verbum spinas consumpsit, agros purgavit, praedicationis doctrinam seminavit; ac dum ex iis, qui crediderant, alii in carcere habitarent, alii in exsilium abducti essent, alii pecuniis mulctati, alii occisi et in frusta concisi, alii igne consumpti, alii demersi essent, alii omne genus supplicii subirent, ignominia affecti, pulsi, quasi communes hostes undique ejecti; alii numero plures accesserunt, nec modo ex aliorum cruciatibus nihilo segniores evaserunt ad fidem amplectendam, sed multo alacriores fuerunt, et in pulchram hanc capturam insilierunt; sicque a piscatoribus capiebantur, non coacti, sed accurrentes, gratiamque habentes iis, qui se in hanc rem deducerent, ac cum sanguinum torrentes ex jam

credentibus erumpentes cernerent, ferventiores fidentioresque circa fidem erant. Cumque non tantum discipuli, sed etiam magistri, alii vincti, alii pulsi, alii verberati essent, alii demum innumera paterentur mala, discipuli tamen et plures et ferventiores fiebant. Certe Paulus clamat: *Ita ut plures fratrum in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum loqui* (Philip. 1, 14): et alibi rursum: *Vos enim imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, quemadmodum et ipsi a judaeis, qui Dominum crucifixerunt, et nos impediunt loqui gentibus, ut salventur* (1. Thess. 2, 14-16). Aliis rursum scribens sic loquitur: *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati multum certamen sustinuistis passionum, scientes vobis meliorem substantiam in coelis et manentem* (Hebr. 10, 32, 34). Videsne praestantiam virtutis ejus, qui talia operatus est? Nam qui tanta patiebantur, non solum non aegre ferebant vel deficiebant, sed et gaudebant, gestiebant, exsultabant. Et de discipulis quidem dicit ille, quod facultatum publicationem cum voluptate acceperint; de magistris vero Lucas in libro Actuum apostolorum

ait, eos reversos esse gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti fuerant pro nomine Christi contumeliam pati (Act. 5, 41). De se ipso rursum Paulus: *Gaudeo*, ait, *in passionibus meis, et adimpleo quae desunt tribulationibus Christi in carne mea* (Coloss. 1, 24). Ecquid miraris, quod in passionibus gauderet, quando mortem subiturus non modo gaudebat, sed etiam discipulos in gaudii consortium vocabat, quod erat animi supra modum laetantis: *Gaudeo*, inquit, et *congratulor omnibus vobis: itidem et vos gaudete, et congratulamini mihi* (Philip. 2, 17). Et quid factum est, dic mihi, quod tanto gaudio repletus es? *Ego*, inquit, *jam delibor, et tempus resolutionis meae instat* (2. Tim. 4, 6).

14. Sic igitur per universum orbem Ecclesiam aedificabant. Atqui ne parietem quidem unum quisquam possit exstruere lapidibus et calce utens, si expellatur et impediatur: hi vero tot ecclesias ubique terrarum aedificarunt, percussi, vincti, pulsi, fugati, facultatibus mulctati, flagellati, jugulati, combusti, demersi una cum discipulis. Et aedificabant, non lapidibus, sed animabus et institutis, quod plane difficilius est, quam lapidibus construere. Non enim par est mu-

rum construere, et animam tanto tempore a daemonibus agitatam ad resipiscendum persuadere, ut ab insania illa desistat, et ad tantam perveniat temperantiam. Attamen hoc potuerunt nudi et calceis carentes, una induti tunica per universum orbem circumeuntes: habebant enim commilitantem ejus virtutem, qui dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Numera quod tyranni ab illo tempore adversus illam instruxerunt aciem, quot gravissimas persecutiones excitarunt: quo in statu fides fuerit toto illo, quod praeteriit, tempore, quando recens plantata erat, quando teneriores erant hominum mentes. Gentiles erant imperatores, Augustus, Tiberius, Cajus, Nero, Vespasianus, Titus, et post illum omnes usque ad tempus beati Constantini imperatoris; omnesque illi, alii minus, alii vehementius Ecclesiam oppugnabant; oppugnabant tamen omnes. Quod si qui eorum visi sunt mitius agere, hoc ipsum tamen quod imperatores palam in impietate viverent, materia bellorum erat, cum alii, qui ipsis adulabantur, gratiam illorum captantes Ecclesiae bellum inferrent. Attamen omnes hujusmodi insidiae atque incursus facilius

quam araneae tela dissipati sunt, citius quam fumus soluti sunt, velocius quam pulvis transierunt. Nam cum insidiis suis majorem martyrum chorum effecerint, immortalesque illos Ecclesiae thesauros reliquerint, columnas atque turres, illi non viventes modo, sed etiam mortui posteris magnae utilitatis materia facti sunt. Videsne vim praedictionis? *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ab his et de futuris crede nullum fore, qui obsistat. Si enim cum ex paucis constaret, cum nova res esse videretur, cum nuper plantata doctrina esset, cum tot bella instarent, tot undique commissa praelia nihil potuerunt, neque praevaluerunt; quanto magis nunc cum universam terram occupat, omnemque locum, montes, saltus, colles; etenim et maria et gentes sub sole positas omnes apprehendit; cum impietas apud paucos jam obtineat atque arae, templa, idola omnia sublata fuerint, festa item, initiationes, fumus, nidor et profanae conciones. Quomodo igitur talis tantaque res tot oblatis impedimentis tam conspicuum finem habuerit, et exitum veritati fidem facientem, nisi divina quaedam et invicta virtus esset ejus, qui haec praedixit et perfecit? Nemo sane his contradixerit, nisi ad-

modum insaniat, ac mente captus sit. Neque haec tantum sed etiam alia vaticinia ejus invictam virtutem praenunciant. Nam cum omni veritate futura praedixit, et ad finem deduxit, neque fieri potest, ut quidpiam ex dictis ejus excidat. Imo citius peribit coelum et terra, quam aliquod verborum aut praedictionum ejus falsi arguatur. Quod ipsum ille ante rerum eventum enuncians, sic clare de verbis suis loquitur: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (Matth. 24, 35). Idque jure merito: non enim verba tantum sunt, sed Dei verba, per quae res conduntur. Sic coelum fecit, sic terram, mare, solem, sic angelorum choros, sic alias invisibiles virtutes, quod declarans propheta dicebat: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (Ps. 148, 5): de omni simul creatura, tum superna, tum infra posita, tum sensibili, tum intellectuali, tum corporea, tum incorporea ea pronuncians. Illud igitur de Ecclesia vaticinium ostendit, ut supra dixi, veritatis, providentiae, bonitatis curaeque ejus magnitudinem et excellentiam.

15. Age ergo et aliam praedictionem tractemus, quae sole sit clarior radiisque ejus splendidior, quaeque ante omnium oculos

sita ad omnes futuras generationes extendatur, sicut et prior. Talia enim sunt pleraque ejus vaticinia, non brevi tempore terminantur, neque in una generatione complentur; sed omnibus hominibus tum viventibus, tum mox futuris, tum sequentibus, et qui usque ad consummationem erunt, veritatis suae notitiam praebent, quemadmodum et prius vaticinium. Nam a qua die dictum est usque ad consummationem seculi firma immotaque mansit, florens, fulgens, in dies crescens, plus roboris sumens, et omnibus, qui ab illo die usque ad Domini adventum futuri sunt praestans, ut maximos inde fructus et ineffabilem utilitatem capiant. Nam qui ante nos, et qui ante illos, et qui longe superius fuere, ejus virtutem cognoverunt bella videntes in eam ingruentia, pericula, tumultus, strepitus, fluctus, tempestates: ipsam vero neque sic submergi, vinci, superari, aut exstingui; sed florere, crescere, ad majorem sublimitatem erigi. Et hoc vaticinium, quod nunc dicturus sum, idoneum est ad dictorum vim et veritatem commonstrandam. Quodnam est illud vaticinium? Cum ingressus aliquando esset in templum judaïcum tunc florens, auro fulgens, necnon pulchritudine magnitudineque aedificiorum,

alia quoque instructum omni artificii materiaeque varietate, mirantibus discipulis quid dixit? *Nonne videtis haec omnia? Amen dico vobis, non manebit lapis super lapidem* (Matth. 24, 2). Ejus destructionem futuram declarans, desolationem, vastitatem, ruinam, quae nunc Jerosolymis est: omnia enim aedificia illa praeclara conspicuaque diruta sunt. Vides in utroque magnam et ineffabilem ejus potentiam; in eo quod se colentes aedificaverit et auxerit; et in eo quod inimicos suos humiliaverit, destruxerit radicitusque sustulerit? Nusquam enim huic simile templum erat tam celebre, tanto cultu insigne. Nam quotquot ubique per orbem erant judaei, etiam in finibus terrae positi, istuc olim proficiscebantur, dona, hostias, oblationes, primitias et multa alia ferentes, orbisque divitiis templum decorantes, omnesque eo undique confluebant judaei advenae. Multum erat loci nomen, et usque ad extrema orbis pervenerat. Sed unum Christi verbum illa omnia delevit et perdidit, ac tamquam pulverem de medio sustulit. Ac quo ne judaeis quidem omnibus, imo nec sacerdotibus, sed soli summo sacerdoti ingredi licebat, idque semel in anno tantum cum stola, coronis et mitra, alioque sacro

vestimento, nunc et scortis, et mollibus et effeminatis et moechis patet aditus, nemine prohibente. Nam ut verbum illud advenit, omnia delevit et sustulit: tantumque de templo superest, quantum satis est, ut ostendatur, ubinam templum olim esset. Cogita ergo quantae et hoc sit virtutis. Etenim qui olim tam potentes erant, qui gentes et reges superabant, qui absque sanguine plerumque vincebant, tropaeaque innumera nova et admirabilia erigebant; hi templum unum ab illo usque ad hoc tempus aedificare non potuerunt. Quamvis tot reges fuerint, qui illis opem ferrent, tantaque multitudo per orbem diffusa, totque pecuniarum opes adessent. Videsne quomodo quae ille aedificavit, nemo destruxit; et quae ille destruxit, nemo aedificavit? Aedificavit Ecclesiam, et nemo ipsam destruere possit; destruxit templum, et nemo ipsum restaurare valet; idque tam diuturno tempore: quamvis illam destruere tentaverint, non potuere tamen; quamvis hoc denuo excitare conati sint, id frustra moliti sunt.

16. Id vero permissum fuit ne quis diceret, si id tentatum esset, fieri potuisse: ecce tentaverunt, et non potuerunt. Nam aetate nostra imperator, qui omnes impietate

superabat, et facultatem tunc dedit, et cooperatus est: opus incoepere, ac ne vel minimum ultra progredi potuere; sed ignis a fundamentis exsiliens omnes fugavit. Quod autem voluerint, hoc indicium est, quod hactenus fundamenta nudata appareant, ut videas ipsos quidem fodere coepisse, sed aedificare non potuisse obsistente Christi sententia. Quamvis autem jam olim destructum fuisset hoc templum, at iis post annos septuaginta reversis, statim excitatum est, et priore splendidius fuit. Quod sane prophetae dixerant, et antequam fieret praenunciarant. Nunc autem plus quam quadringentesimus annus est, et nulla cogitatio, nulla exspectatio vel spes est, illud ultra instaurandum fore. Atqui si non divina virtus obluctaretur, quid obstaret? Annon magna vis pecuniarum penes illos est? Annon ab omnibus undique tributa colligens patriarcha[1]), immensos possidet thesauros? An-

[1]) *Patriarcham* judaeorum multi scriptores ecclesiastici memorant. Origenes in opusc., quem Maurini typis dederunt post praeliminaria ad Hexapla, dicit se cum patriarcha judaeorum Jullo congressum esse. Patriarcham item judaeorum memorant Cyrillus hieros., Hieronymus maximeque Theodoretus Dial. 1., ex cujus dictis arguitur, patriarchas

non audax illa natio est? Annon impudens, contentiosa, temeraria, seditiosa? Annon multi sunt in Palaestina? Annon multi in Phoenicia? Annon multi ubique? Quomodo ergo non potuerunt unum denuo construere templum, praesertim videntes cultum suum hinc ubique impediri, judaicos ritus aboleri, sacrificia, oblationes ceteraque hujusmodi legalia de medio tolli, omninoque cessare? Neque enim illis vel aram excitare, vel sacrificium offerre, vel libare, vel ovem imponere, aut suffitum, vel legem recitare, vel festum celebrare, vel quidpiam simile facere licebat extra illa limina.

17. Sane cum Babylone essent, et ab hostibus cogerentur, ut psallerent, non obtemperarunt, neque morem gesserunt, tametsi captivi et servi erant, dominisque se vexantibus suberant. Sed etiamsi a patria et a libertate excidissent, et de ipsa vita periclitarentur, et quasi laqueo manu hostium de-

---

judaeorum se ex progenie Davidis esse falso jactitasse. Duo erant judaeorum patriarchae, quorum alter in Judaea degebat, alter in Babylone. De patriarchis judaeorum agunt ii, qui de judaeorum republica tractavere. Vide praesertim Petavium in notis ad Epiphanium et Jacobum Gothofredum ad cod. theodosianum 6, 213.

tinerentur, jussi canticum organis canere, sic dicebant: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus. Quia interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba cantionum. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Nec potest quisquam dicere ipsos ob organorum penuriam non cecinisse: causam enim illi protulerunt dicentes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Organa vero penes se habebant: *In salicibus*, aiunt, *in medio eorum, suspendimus organa nostra* (Psal. 136, 1 et seqq.). Sed neque jejunare licebat illis, quod declarans propheta dicebat: *Numquid jejunium jejunastis mihi annis septuaginta, dicit Dominus* (Zach. 7, 5)? Quod autem illis nec sacrificare nec libare fas esset, audi tres pueros dicentes: *Non est princeps, neque propheta, neque dux, neque locus ad sacrificandum coram te, et inveniendum misericordiam* (Dan. 3, 38). Non dixerunt: Non est sacerdos; aderant enim sacerdotes: sed ut discas de loco tantum agi, totamque legem ea in re obstrictam esse, dicebant: *Non est locus.* Et quid de sacrificio et de libatione loquor? ne quidem recitare legem licebat ipsis: quod exprobrans alius propheta dicebat: *Et lege-*

runt foris legem, et advocaverunt confessionem (Amos. 4, 5). Non Pascha, non Pentecosten, non Scenopegiam, non aliud quid simile celebrare poterant. Attamen etsi noverint se propter loci desolationem ab his omnibus excludi, et se, si quid eorum aggrediantur, legem transgredi poenasque daturos esse, non potuere locum, in quo licebat haec omnia legitime facere, erigere et restaurare. Nam virtus Christi, quae Ecclesiam aedificavit, eadem et templum destruxit. Propheta certe praedixit, et venturum Christum, et haec operaturum, etiamsi is post captivitatem fuerit; audi quid dicat: *Et in vobis concludentur januae, et non accendetur altare meum gratis. Non est mihi voluntas in vobis, quia ab Oriente solis usque ad ad Occidentem nomen meum glorificatum est in gentibus, et in omni loco incensum mihi offertur, et sacrificium purum* (Malach. 1, 10-12). Vides quomodo manifeste et judaismum ejecit, et christianismum effulgentem monstravit, et ubique terrarum diffusum? Cultus vero rationem alius significavit his verbis: *Et adorabunt eum unusquisque ex loco suo, et servient ei sub jugo uno* (Soph. 3, 10): Et alius iterum: *Virgo Israel lapsa est, non resurget*

amplius (Amos. 5, 2). Daniel autem haec omnia aperte narrat. Universa nempe tollenda esse, hostiam, libamen, unctionem, judicium. Verum haec quando adversus judaeos sermonem instituemus, clarius fusiusque explicabimus [1]). Interim vero in destinata pergamus via, gentiliumque contentionem retundamus. Non tibi dixi mortuos suscitatos vel leprosos mundatos, ne diceres haec mendacia esse, fastum et fabulas. Quis vidit? quis audivit? Iidem ipsi, qui narrarunt crucifixum et colaphis caesum, illi etiam haec dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in istis vero dicta reprehendis, quasi haec gesta non sint? Atqui si ad magistri gratiam haec scripserunt, ac temere frustraque jactitarunt, ea tacuissent, quae tristia ignominiosaque apud multos habebantur. Jamvero illi horum veritatem declarantes, in illis maxime immorati sunt, omniaque diligenter copioseque tractarunt, nec parvo nec magno quopiam praetermisso; sed in signis et miraculis plurima tacuerunt; in cruciatibus autem et iis, quae ignominiosa videbantur, plurimum immorantes, omnia

---

[1]) Praestitit hoc s. doctor in octo orationibus adversus judaeos.

omnes accurate narrarunt. Verum ergo nihil horum apud te commemorans, signa, inquam, et miracula, ut ex abundanti omnem impudentis linguae furorem compescam; ea quae nunc videntur, quae prae omnium oculis posita sunt, quae sole clariora, quae ubique in toto orbe dispersa, quae universum occupant mundum, totamque naturam excedunt; gesta, quae unius Dei sunt, ea, inquam, in medium adduxi[1]). Quid dicis? non suscitavit mortuos? Num illud etiam dicere potes ecclesias in orbe non esse? An dicas insidiis non appetitas esse, non superasse, nec victoriam reportare? At quemadmodum dici non potest solem non esse, sic neque haec dici possunt. Quid ergo? annon vides judaici templi ruinam in totius orbis conspectu positam? Cur non tecum hoc reputas: Nisi Deus esset Deusque fortis, quomodo cultores ejus vexati et exagitati ita creverunt, qui autem illum crucifixerunt et laeserunt, ita dejecti sunt, ut tota republica sua exciderent, et vagi, errones, profugi circumeant, nec quantumvis diuturno tempore

---

[1]) Cf. praeclarissimam Augustini disputationem de fide rerum, quae non videntur c. 4 (opusc. t. 6. p. 104 ss.) huic plane similem.

alterutrum eorum solutum mutatumque est? Atqui adversus romanum imperium hi, judaei, inquam, bellum susceperunt, arma moverunt, multoque tempore illud oppugnarunt, imo aliquando vicerunt, nec parva negotia fecerunt Augustis illius temporis, tanta erant potentia instructi. Attamen qui cum tot imperatoribus bella gesserunt, qui tanta pecuniarum, armorum, militum vi pollebant, qui duces innumeros repulerunt, unum excitare templum non potuerunt; sed synagogas quidem per urbes exstruxere multas; locum vero illum, qui reipublicae suae praebet auctoritatem, ubi omnem cultum persolvere consueverant, atque unde judaismus constituitur, hunc, inquam, solum instaurare non potuerunt.

ANONYMI VIRI APOSTOLICI

EPISTOLA AD DIOGNETUM [1]).

1. Quum te, Diognete, vir praestantissime, valde videam studiosum divinum christia-

[1]) Ne tomulus hic tenuis nimis in lucem prodeat, hanc duobus praecedentibus libellis adjecimus epistolam. Ut vero illam aliis patrum monumentis praeferremus, et argumenti affinitas, et opusculi praestantia et antiquitas auctoris nos impulerunt. Tributa primum fuit haec epistola eruditorum multorum consensu Justino M., hinc inter ejusdem opera saepius prodiit, sed non defuere viri doctissimi ut Tillemontius, Nourrius, Gallandius, Lumperus etc., qui ejus auctorem Justino multo antiquiorem esse existimarent, apostolicis temporibus vicinum. „Etenim egregia, inquit Böhlius (opusc. patrum selecta p. 109 ss.), hic conspicitur doctrinae puritas et in exponendis praecipuis Evangelii articulis simplicitas disciplinae apostolorum, in primis s. Pauli,

norum cultum cognoscendi, et accurate diligenterque percontantem de illis, cui Deo confidentes quamque religionem colentes, mundum ipsum aspernentur omnes, mortemque contemnant, nec eos, qui a graecis dii putantur, pro diis habeant, nec judaeorum superstitionem observent, quaque charitate mutua commoveantur, et cur novum hoc genus aut institutum nunc demum apparuerit, ac non prius; acceptum habeo tuum hoc desiderium Deumque rogo, qui et lo-

---

valde consentanea. Nec tamen insignis ille cum apostolorum disciplina et sermone consensus videtur ex artificiosa sermonis Scripturae s. imitatione natus esse, sed ex ipso animo auctoris doctrinae apostolicae innutrito eaque penitus perfuso fluxisse." Rectius Trajani temporibus epistolam nostram exaratam putare Mohlerum censet Hefele (in proleg., patrum apostol. op.), quum ea, quae de persecutionibus c. 7. leguntur, vix prius scripta esse possint, et acrior illa judaeorum et christianorum disjunctio ac judaismi impugnatio secundum seculum redoleat. Extremam epistolae partem a. c. 11. spuriam putant Bohl et Semisch argumentis internis innixi. Quam sententiam in prima quidem editione rejecit cl. Hefele, sed re subtilius et acrius perpensa parum abesse ait, quin et ipse illam spuriam censeat. Respondet autem auctor in hac epistola quibusdam quaestionibus (quas cf. c. 1) Diogneti nondum christiani, ejus tamen doctrinae cognoscendae cupidi. Eruditorum vero omnium suffragio epistola haec pretiosum est antiquitatis

quendi et audiendi nobis facultatem suppeditat, ut ab eo detur mihi quidem ita verba facere, ut audiam inprimis te meliorem esse factum; tibi autem ita audire, ut tristitia non afficiatur is, qui verba fecerit.

2. Age igitur, postquam teipsum a cunctis cogitationibus mentem tuam praeoccupantibus purgaveris, et consuetudinem te decipientem abjeceris, et factus fueris velut ab initio novus homo, cum et doctrinae novae, sicut ipse confessus es, auditor eris; non solum oculis sed et mente conspicias, cujus sint substantiae aut cujus formae illi, quos vocatis et putatis deos. Nonne hic lapis est ei, qui calcatur similis? alius autem est aes nihilo melius, quam quae in usum nostrum fabricata sunt vasa; alius lignum et quidem jam putridum; alius autem argentum, cui opus est custode, ne furto auferatur; alius ferrum rubigine corruptum; alius testa nihilo praestantior ea, quae ad abjectissimum ministerium facta est. Nonne ex materia corruptioni obnoxia sunt haec omnia? Nonne ferri et ignis ope fabricata?

---

monumentum et divinitatis Christi testimonium. Sequimur versionem Henrici Stephani, quam recudit emendavitque cl. Hefele.

Nonne illud sculptor lapidum, hoc faber aerarius, hoc argentarius faber, hoc figulus finxit? Nonne, priusquam horum (artificum) artibus in formas illorum (deorum) effingerentur, unumquodque ab unoquoque (artifice) variis modis, idque etiam hactenus, transformabatur? Nonne, quae nunc eadem e materia sunt vasa, similia his (diis) reddi possent, si eosdem artifices nanciscerentur? Nonne haec omnia, quae a vobis adorantur, ab hominibus vasa reliquis similia fieri rursum possent? Nonne surda sunt omnia? Nonne coeca? Nonne inanima? Nonne sensus omnis expertia? Nonne immobilia? Nonne omnia putrescunt? Nonne omnia corrumpuntur? Haec deos vocatis, his servitis, haec adoratis; et omnino similes istis reddimini. Idcirco odistis christianos, quia hos esse deos non arbitrantur. Vos autem, qui illos esse deos nunc putatis et existimatis, nonne multo magis, quam illi (christiani) eos contemptui habetis? Nonne multo magis eos irridetis et injuria afficitis, dum lapideos quidem et testaceos sine custodibus veneramini, argenteos autem et aureos nocte includitis ac interdiu custodes apponitis, ne furto auferantur? Et vero illis honoribus, quibus vos prosequi eos existimatis, potius

supplicio afficitis, siquidem sensu sunt praediti; sin expertes sunt sensus, (hujus rei) eos convincitis sanguine et nidoribus eos colentes. Quis vestrum haec sufferret? Quis haec sibi fieri pateretur? Sed nullus quidem hominum hoc supplicium, nisi invitus, patietur, sensu enim et ratione est praeditus; at lapis id patitur, sensu enim caret. Quamobrem illos sensu expertes esse convincitis. Ac de eo, quod christiani diis hujusmodi in servitutem addicti non sint, multa quidem et alia haberem dicere; si cui tamen haec ipsa sufficere non videantur, supervacaneum arbitror et plura dicere.

3. Deinceps autem de eo, quod non est illis idem cultus divinus, qui judaeis, te maxime cupidum esse audiendi puto. Judaei igitur, quamvis abstineant cultu supra memorato, et Deum unum venerari dominumque omnium existimare velint, cum eodem tamen modo, quo supra dicti, Deum colant, in errore versantur. Nam quae graeci sensus expertibus et surdis offerentes dementiae dant argumentum; haec illi Deo tamquam iis indigenti praebere putantes, stultitiam potius quam cultum divinum id merito existiment. Qui enim coelum et terram, atque omnia, quae in iis sunt, condidit, nobisque

omnibus ea suppeditat, quibus indigemus, certe nullo eorum indiget, quae ipse iis largitur, qui ei haec dare existimant. At ii, qui per sanguinem et nidorem et holocausta illi sacrificia conficere, hisque honoribus eum ornare putant, hi nullius rei indigo aliquid praebere putantes nihil ab iis differre mihi videntur, qui eundem honorem praestant sensu carentibus, quae percipere honorem hunc non possunt.

4. At eorum quoad cibos timiditatem, et superstitionem circa sabbata, et jactantiam de circumcisione, et quae de jejunio et noviluniis celebrandis simulant, quae ridiculosa sunt et relatu minime digna, tibi a me discenda esse non arbitror. Nam eorum, quae a Deo in usum hominum creata sunt, alia quidem tamquam recte creata accipere, alia vero, ut inutilia et supervacanea recusare, quomodo fas sit? De Deo autem mentiri, vetare eum boni aliquid die sabbati peragere, quomodo impium non sit? Et de carnis imminutione, tamquam electionis testimonio, gloriari, quasi ob eam eminenter dilecti sint a Deo, quomodo derisione non sit dignum? Eos autem stellis et lunae quasi assidentes observationi mensium et dierum deditos esse, et Dei oeconomias ac tempo-

rum vicissitudines secundum mentem suam accomodare, alias ad festos dies, alias ad luctum; quis hoc cultus divini, et non dementiae multo magis indicium existimabit? Communi igitur vanitate et errore, et judaeorum operositate atque jactantia jure christianos abstinere, te abunde didicisse existimo; sed divini cultus illis proprii mysterium ne te ab homine ullo doceri posse speres.

5. Christiani enim neque regione, neque lingua, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti. Nam neque proprias civitates incolunt, neque lingua utuntur peculiari, neque vitam degunt discretam. Neque investigatione quadam et hominum curiosorum sollicitudine haec disciplina ab eis est inventa, neque alicui dogmati humano patrocinantur, sicut nonnulli. Sed incolentes partim graecas, partim barbaras civitates, prout cujusque sors tulit, et indigenarum instituta sequentes in vestitu victuque et ceteris, quae ad vitam pertinent, mirabilem et haud dubie incredibilem vitae suae rationem oculis nostris proponunt. Patrias proprias inhabitant, sed tamquam inquilini. Omnia cum aliis habent communia ut cives; et omnia patiuntur ut peregrini.

Omnis peregrina regio eorum est patria; et omnis patria peregrina. Uxores ducunt ut omnes, et liberos procreant; sed non abjiciunt foetus. Mensam communem habent, non vero lectum. In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed coeli cives sunt. Obsequuntur legibus latis, et vitae suae genere leges superant. Amant omnes, et omnes eos persequuntur. Ignorantur, et condemnantur; morte afficiuntur, et vivificantur; mendici sunt, et multos ditant; rebus omnibus indigent, et omnia illis redundant; dedecorantur, et inter dedecora afficiuntur gloria; fama eorum laceratur, et justitiae eorum testimonium perhibetur; maledicitur eis, et benedicunt: contumelia afficiuntur, et honorem deferunt; bona facientes ut improbi puniuntur; dum puniuntur, gaudent, tamquam vivificentur; adversus eos tamquam alienigenas judaei bellum gerunt, et graeci eos persequuntur; causam inimicitiarum autem osores dicere nequeunt.

6. Atque ut semel omnia complectar, quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani. Anima dispersa est per omnia corporis membra, et christiani per mundi civitates (dispersi sunt). Habitat quidem anima in corpore, sed non est e cor-

pore, sic et christiani in mundo habitant, sed e mundo non sunt. Invisibilis anima in visibili corpore custoditur; sic et christiani in mundo degentes conspiciuntur, sed invisibilis eorum est pietas. Caro animam odio prosequitur et bello nulla affecta injuria, quia voluptatibus frui prohibetur; et christianos odit mundus nulla affectus injuria, quia illi voluptatibus repugnant. Anima carnem amat, quae ipsam odit, et membra; et christiani amant osores. Inclusa quidem est anima corpore, sed ipsa corpus conservat; et christiani detinentur quidem in mundo sicut in custodia, sed ipsi mundum conservant. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat; et christiani ut inquilini corruptibilia inhabitant incorruptibilitatem coelestem exspectantes. Anima quoad cibum et potum male tractata melior fit; et christiani suppliciis affecti quotidie numero crescunt. Deus illos tam insignem tenere locum voluit, quem illis nefas est defugere.

7. Non enim terrenum, ut dixi, inventum hoc illis traditum est, nec mortalis est doctrina, quam adeo accurate custodiendam sibi censent, neque humanorum mysteriorum oeconomia illis commissa est; sed ipse Deus omnipotens, omnium creator et invisibilis e

coelis veritatem et Verbum sanctum ac incomprehensibile inter homines locavit, et in cordibus eorum firmam habere sedem voluit; non quemadmodum aliquis conjicere possit, hominibus ministrum aliquem mittens, aut angelum, aut principem, aut aliquem eorum, qui terrena gubernant, quibusve commissa est cura rerum in coelis administrandarum; sed ipsum opificem et creatorem omnium, per quem coelos condidit, per quem mare suis terminis conclusit; cujus mysteria fideliter ab omnibus signis observantur; a quo sol mensuras diurnorum cursuum observandas accepit; cui paret luna jubenti eam lucere nocti; cui astra obtemperant lunae cursum sequentia; a quo omnia disposita sunt et suis limitibus circumscripta eique subdita: coeli et quae in coelis sunt, terra et quae in terra sunt, mare et quae in mari, ignis, aër, absyssus, quae in altitudine, quae in profundis, quaeque in medio (locata sunt). Hunc ad eos misit. Num, ut quisquam cogitare possit, tyrannidis exercendae et terroris incutiendi causa? Minime; sed in clementia, in lenitate. Ut rex filium regem misit eum:

---

[1]) I. e. leges, quibus Creator rerum naturam moderatur, quaeque hominum intellectum latent. Boehl.

ut Deum misit eum, ad homines eum misit, servans nos misit eum, persuadens, non violentiam adhibens; violentia enim Deo non inest. Misit ut vocans, non persequens; misit ut amans, non judicans. Mittet enim eum judicaturum, et quis ejus adventum sustinebit? Nonne vides objectos feris, ut abnegent Dominum, sed non victos? Nonne vides, quo plures supplicio afficiantur, tanto majorem fieri numerum reliquorum? Haec non videntur ab homine fieri; haec sunt Dei potentia; haec adventus ejus sunt indicia.

8. Quis enim hominum ante adventum ejus Deum cognoverat? An vana et nugacia effata philosophorum istorum approbas, qui fide (perperam) digni sunt habiti? Quorum aliqui ignem esse Deum dixerunt, id Deum vocantes, in quod profecturi sunt ipsi; alii aquam; alii aliud ex elementis a Deo creatis. Sed tamen, si horum dictorum aliquod approbatione dignum est, illi et ceterarum rerum, quae sunt creatae, unamquamque similiter Deum pronunciare possint. Verum hi sermones sunt prodigiosa mendacia et imposturae praestigiatorum; hominum vero nemo vidit, nemo novit eum; sed ipse seipsum ostendit. Ostendit se autem per fidem, cui solum Deum videre concessum est. Nam

Dominus et opifex omnium Deus, qui omnia fecit et suo quaeque ordine disposuit, non solum hominum amator, sed patiens etiam fuit. Erat autem semper talis, et est, et erit, benignus et bonus et irae expers et verax; et solus bonus est: concepit autem mente magnum aliquid et ineffabile, quod cum solo Filio communicavit. Quamdiu igitur prudens suum consilium in occulto retinebat et custodiebat, nos negligere nullamque nostri curam gerere videbatur; at postquam per dilectum Filium revelavit et patefecit, quae jam inde ab initio erant praeparata, omnia simul praebuit nobis, et frui suis beneficiis, et videre et palpare eum. Quis nostrum haec exspectavisset? Omnia igitur una cum Filio suo sciebat juxta oeconomiam (divinam).

9. Ceterum tempore priori pro lubitu inordinatis motibus agitari nos sivit voluptatibus et cupiditatibus ductos; non quidem quod illo modo peccatis nostris gauderet, sed ea tolerans; neque illud tempus iniquitatis approbans, sed [1]) mentem justitiae creans; ut,

[1]) I. e. conscientiam sanctitatis, quam Deus postulat, in hominum animis excitans. Boehl. Forte pro

quum eo tempore e propriis operibus vitae indigni fuerimus inventi, nunc Dei benignitas nos ea dignaretur; et quum manifestum fecissemus, quod nostrum est ingredi non posse in regnum Dei, potentia Dei iteremus compotes. Quum autem completa esset nequitia nostra, plenèque esset manifestum, mercedem ejus supplicium et mortem imminere, advenisseique tempus a Deo praestitutum ad suam deinceps benignitatem ac potentiam declarandam, pro redundanti erga homines benevolentia et amore nos non odio habuit, neque rejecit, neque improbitatis nostrae memorem se ostendit, sed patienter eam tulit ac sustinuit, ipse peccata nostra suscepit; proprium ipse Filium pretium redemptionis pro nobis dedit, sanctum pro iniquis, mali expertem pro malis, justum pro injustis, incorruptibilem pro corruptibilibus, immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere, quam ejus justitia? In quo alio nos iniqui et impii justificari possumus, quam in solo Filio Dei? O dulcem permutationem, o impervestigabilem

---

νῦν legendum *νῖν* = *sed praesens tempus justitiae creans.* Hefele.

institutionem, o beneficia exspectationem omnem superantia: ut iniquitas quidem multorum in unc justo abscondatur, justitia autem unius multos injustos justificet! Quum igitur superiori tempore nos convivisset, non posse naturam nostram vitæ perire, hanc autem servatorem ostendisset, qui servare potest ea etiam, quæ servari non poterant; per utrumque voluit nos benignitati suæ credere, ipsumque existimare omnium patrem nostrum, consiliarium, medicum, sapientiam, bonum, gloriam, robur, vitam; de vestitu et victu solicitos non esse.

10. Hujus fidei si in quoque desiderio temeritis illatumque acceperis, primum Dei benignitatem cognoveris. Deus enim homines dilexit, propter quos mundum creavit, quibus omnia subjecit, quæ in eo sunt, quibus rationem, quibus mentem dedit, quibus solis ad ipsum oculos attollere permisit, quos ad imaginem suam formavit, ad quos Filium suum unigenitum misit, quibus cœlestis regni promisit, et dedit iis, qui ipsum dilexerunt. Hæc postquam cognoveris, quanta te impletum iri lætitia existimes? Aut quomodo diligas eum, qui prior te ita dilexerit? Si autem eum diligis, imitator benignitatis

ejus eris. Ac ne mireris, posse hominem esse imitatorem Dei. Potest eo volente. Non enim imperium in proximos obtinere, neque velle infirmiores superare, neque divitem esse et vim inferre inferioribus, beatum hominem reddit; neque in his Deum imitari quisquam potest. Sed nec majestas Dei in his rebus consistit. At qui proximi onus in se recipit, qui, qua in re superior est, alium inferiorem beneficio vult afficere, qui quaecunque habet a Deo accepta, ea indigis suppeditans Deus fit accipientium; is Dei est imitator. Tunc perspicies in terra degens Deum in coelis mundum, velut aliquam rempublicam, gubernare; tunc mysteria Dei loqui incipies; tunc eos, qui puniuntur, quod abnegare Deum nolint, et diliges et miraberis; tunc imposturam mundi et errorem damnabis, quum vere in coelo vivere didiceris, quum eam, quae heic mors esse censetur, contempseris, et mortem veram formidare coeperis, quae servatur iis, qui ad ignem aeternum damnabuntur, qui sibi traditos supplicio afficiet ad finem usque. Tunc admiraberis eos, qui pro justitia ignem patiuntur terrestrem, et beatos eos praedicabis, quum ignem illum cognoveris.

11. Non de rebus peregrinis loquor, ne-

que temere aliis persuadere studeo; sed quum apostolorum fuerim discipulus, gentium doctor fio. Quae mihi tradita sunt. subministro iis, qui discipuli fiunt digni veritate. Quis enim recte edoctus et ab[1]) amico Verbo generatus accurate non studeat discere, quae per Verbum clare ostensa sunt discipulis, quibus ea declaravit Verbum ipsum apparens, libere loquens, ab incredulis non intellectum, discipulis autem colloquens? Qui fideles ab eo sunt existimati, Patris mysteria cognoverunt; cujus rei gratia hic Verbum misit, ut mundo appareret; quod a populo contemptum, ab Apostolis praedicatum, a gentibus est creditum. Hic ab initio erat, qui novus apparuit, et in carne inventus est, et semper novus in sanctorum cordibus nascitur. Hic sempiternus hodie filius est nuncupatus (Ps. 2, 7); per quem Ecclesia ditatur, et gratia expansa in sanctis augetur, praebens intellectum, patefaciens mysteria, annuncians tempora, gaudens super fidelibus, quaerentibus donans, a quibus limites fidei non perfruntur, ne-

[1]) Maranus conjicit: *προσφιλὴς γενηθεὶς*, *et Verbo amicus factus.*

neque[1]) limites patrum transiliuntur. Deinde metus legis decantatur, et prophetarum[2]) gratia cognoscitur, et evangeliorum fides stabilitur, et apostolorum traditio custoditur, et ecclesiae gratia exsultat. Quam gratiam non contristans ea, quae Verbum loquitur, cognosces per eos, quos vult, et quando ei lubet. Quaecunque enim voluntas jubentis Verbi eloqui nos excitavit, cum labore ex dilectione eorum, quae revelata sunt nobis, vobiscum communicamus.

12. Quae quum legeritis et audieritis studiose, scietis, quanta praebeat Deus iis, qui recte ipsum diligant, et eritis paradisus deliciarum, arborem fructibus plenam belleque germinantem in vobis ipsis producentes variis fructibus ornati. In hoc enim loco lignum cognitionis et lignum vitae plantatum fuit; verum non lignum cognitionis perdit, sed inobedientia perdit. Neque enim sunt obscura, quae scripta sunt, Deum ab

---

[1]) I. e. decreta, facta unanimi consilio patrum ecclesiae. Boehl. Ex his et sequentibus elucet, epistolam exaratam esse, quum jam nonnulli haeretiei existerent, qui libros Veteris Testamenti, partim quoque Novi recusabant. Cfr. Tüb. *Quartalschrift* 1825. p. 458 sq.

[2]) I. e. gratia, qua Prophetae illuminati sunt.

initio lignum vitae in medio paradisi plantasse, per cognitionem vitam monstrantem [1]), qua quum sincere usi non essent primi homines, fraude serpentis nudati fuerunt. Neque enim vita sine cognitione, neque cognitio sine vera vita est tuta et firma. Ideo in propinquo utrumque plantatum fuit. Vim (hujus conjunctionis) perspiciens, cognitionem autem, quae sine veritate doctrinae ad vitam transfertur, reprehendens dicit Apostolus: *cognitio inflat, dilectio autem aedificat* (1. Cor. 8, 1). Qui enim sine cognitione vera, cui testimonium perhibetur a vita, aliquid se scire putat, non cognoscit, a serpente decipitur, quia vitam non dilexit. At qui cum timore cognitionem est adeptus, et vitam quaerit, in spe plantat fructum exspectans. Cor tuum tibi sit sapientia tua; vita autem sit cognitio vera intus recepta. Hujus arborem ferens et fructum ostendens semper metes, quae a Deo desiderantur; quae serpens non attingit, et quibus fraus se non applicat [2]); neque Eva (tunc) corrumpitur, sed virgo cre-

---

[1]) I. e. per veram cognitionem Deus protoplastis veram quoque vitae rationem revelavit; sed illi vera cognitione sincere non sunt usi.

[2]) Quodsi arborem verae cognitionis et vitae in te plantaveris, absque delictis peccatisque manebis.

ditur; et salus apparet, et apostoli sapientia replebuntur, et Domini pascha advenit, et chori congregantur, et decenter ordinantur, et Verbum sanctos docens laetatur, per quod Pater glorificatur; cui sit gloria in secula. Amen.

INDEX.

Pag.

Praefatio 1

I. Quanta intercesserit familiaritas inter Minucium et Octavium 6

II. Octavii Romam adventus Minucio pergratus. Simul ad balnea marina Ostiam pergunt, ibique secus litus deambulant 7

III. Superstitiosum comitis actum exprobrat Minucio Octavius 9

IV. Caecilius Octavium ad disputandum de suae religionis veritate provocat 10

V. Caecilius primum quidem omnia in rebus humanis dubia et incerta contendit, adeoque dolendum, quod christiani rudes plerumque et illiterati de summa rerum ac divina majestate aliquid certi decernere audeant; hinc nulla providentia mundum regi arguit, concluditque satius esse traditis religionibus adhaerere 11

Pag.

VI. Quae libet natio sua colit numina, atque romani illorum cultu orbis terrae imperium sunt assecuti 17

VII. Auspicia et auguria romana poenitenter omissa, observata feliciter 18

VIII. Sicut atheorum impia est temeritas, ita et christianorum, qui deos despuunt . . . 23

IX. Plurima crimina per calumniam christianis exprobrat Caecilius 26

X. Exprobrat Caecilius christianis, quod quid colant occultent, aras templaque non habeant, Deum unum eumque invisibilem atque omnium testem profiteantur 29

XI. Caecilius christianorum irridet fidem de futuro mundi incendio, corporum resurrectione, deque justorum praemiis ac malorum poenis aeternis 31

XII. Quid christianis post mortem eventurum sit, inde conjici posse, quod nunc omni ope destituti tot malis premuntur . . . 33

XIII. Concludit Caecilius repudiandam religionem novam, neque de rebus dubiis temere pronunciandum 35

XIV. Non sine fastu provocat Octavium Caecilius, ut argumentis suis respondeat. Cui Minucius modeste reponit, de sua eloquentia ipsi

Pag.

non esse exsultandum, alteram quoque audiendam esse partem 37

XV. Caecilius Minucium carpit; hic vero suam agendi rationem purgat 40

XVI. Incipit Octavius respondere Caecilio, et primum statuit, non esse disputantis auctoritatem, sed disputationis ipsius veritatem spectandam 40

XVII. Prius cognoscendus est Deus. Ex ipsius autem mundi constitutione et ornatu quisque ratione praeditus compertum habet, eum a Deo fuisse conditum atque ab eo regi 47

XIX. Poetae et praestantiores philosophi eadem fere ac christiani de Deo uno sensere . . 54

XX. Quod si providentia Dei mundus regitur, non nos debet antiquitas imperita rapere ad mutui consensus errorem, quae nimirum fabellis suis delectata ridiculas traditiones invexit 59

XXI. Mortales fuisse deos veterum auctoritate ostendit Octavius, illorum fata tristia perstringit, nugasque ridet quas de suorum deorum forma ethnici venditabant . . . 60

XXII. Prosequitur gentilium de diis fabulas irridere 64

Pag.

XXIII. Irridet idololatras, qui mortales deos fingunt atque ex materia deos sibi dedicant 67

XXIV. Idola vel ab animalibus despiciuntur. Quam ridiculi, stulti, foedi gentilium ritus 69

XXV. Ostendit Octavius perperam a Caecillo jactari (c. 7) romanos superstitioso deorum cultu totius orbis imperio esse potitos 71

XXVI. Ex avium auguriis atque ex oraculis vibratum a Caecilio leviter telum aliis exemplis contra ipsum retorquet Octavius . . 74

XXVII. Superstitionis auctores sunt daemones, quos christiani fugant et produnt . . . 77

XXVIII. Calumniarum, quae contra christianos sparguntur, auctor est daemon. Ceterum similium, imo et graviorum criminum rei sunt gentiles 80

XXIX. Christiani hominem noxium non colunt: hoc potius ethnicis exprobrare possunt. Crucis signum ratione et religione commendatur 81

XXX. In ethnicos rejicit homicidii crimen, a quo christiani maxime abhorrent 86

XXXI. Etiam incestus crimen in ethnicos retorquet; christianorum pudicam vitam extollit 89

XXXII. Persuasum est christianis, non posse Deum ullo templo circumscribi aut fingi

Pag.

illius simulacrum. Ubique est Deus atque omnia videt 91

XXXIII. Quamdiu judaei Deum caste coluerunt, ejus fruebantur tutela, tum ab eo deserti, cum illum ipsi prius deseruerant . . . 93

XXXIV. A sententia de mundi incendio alieni non sunt philosophi, qui tamen doctrinam christianam deformant. Resurrectionem omnis meditatur natura 94

XXXV. De poenarum inferni aeternitate . . . 99

XXXVI. Quid sit fatum. Exprobrata christianis pauperies infamia non est sed gloria, et quod mala corporis patiuntur, non est poena sed militia 101

XXXVII. Digna spectacula Deo martyria. Christiani non intersunt spectaculis, cum sint impia et crudelia 103

XXXVIII. Quare christiani ab idolothytis abstineant. Flores non aspernantur: superstitiosos gentilium ritus in sepeliendis mortuis vitant. Christianae religio rejectis gentilium superstitionibus ab omnibus est amplectenda 106

XXXIX. Octavii disputatione moventur auditores 108

XL. Caecilius veritati cedit christianamque amplectitur religionem 109

Pag.

S. Joannis Chrysostomi

adversus judaeos et gentiles demonstratio quod Christus sit Deus.

I. Christum verum Deum esse probatur ex mirabili propagatione religionis christianae 111

II. Christum Deum et hominem futurum esse praedictum est 115

III. Modum etiam adventus Christi praedixerunt prophetae 123

IV. Judaeorum ingratitudo, Christi passio et sepultura praedictae sunt 127

V. Apostolorum missio praenuncia[illegible] . 133

VI. Praedictiones ad apostolos et Ecclesiam spectantes 133

VII. Judaeorum ejectio praedicta 138

VIII. Judicium extremum mortuorum resurrectio et Christi post mortem gloria praedicta . 141

IX. Cultus Christi per mundum propagatus eum Deum esse demonstrat 145

X. Crux, quae olim ignominiosa erat, gloria 149

XI. Judaeorum incredulitas nihil detrahit ponderis argumento pro Christi divinitate ex vaticiniis derivato 153

XII. Ex praedictione Christi de Ecclesia a se aedificanda, atque ex mira Ecclesiae propagatione divina ejus potentia comprobatur . 157

Pag.

XIII. Mira Ecclesiae propagatio 161

XIV. Invicta Ecclesiae tot inter procellas constantia divinam Christi virtutem manifestat 165

XV. Vaticinium Christi de ruina templi hierosolymitani eventu comprobatum ejus divinitatis est argumentum 172

XVI. Frustra tentavit Julianus apostata templum hierosolymitanum denuo exstruere . 175

XVII. Eadem virtus Christi, quae ex Ecclesiam aedificavit, templum hierosolymitanum destruxit 176

Epistola ad Diognetum 182

Annotatio I: Dei existentia ex iis lucis humanae cognosci probarique potest 148

Annotatio II: Argumentum pro divinitate Christi ex rapida religionis christianae propagatione illustratum . . . . . 11.

Annotatio III: Praecedens argumentum confirmatur ex invicta Ecclesiae inter tot procellas constantia . . . 1 1

208.21
M 668 H

8451

AUTHOR MINUCIUS FELIX

TITLE Octavius etc.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	D	

8451